PA 275
.F7
Copy 1

DE
VOCALIUM GRAECARUM HYPHAERESI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ADOLF FRITSCH

WETFLARIENSIS.

79073

LIPSIAE

TYPIS EXPRESSIT I. B. HIRSCHFELD.

CIↃIↃCCCLXXIII.

PA275
.F7

§ 1. PRAEMONENDA.

„Vocalium concursus: cum accidit, hiat et intersistit et quasi laborat oratio;“ his paucis verbis Quintilianus (IX 4, 33) acutissime hiatus naturam exponit et docet nos, quid et Latinos et Graecos commoverit ut eum vitarent. Quod ut efficerent variis remediis usi sunt, quae potissimum haec sunt: crasis, synizesis, elisio. Verum etiam mediis in verbis, si aut consonis elisis aut terminationibus a vocali incipientibus cum stirpibus quae in vocalem exirent conjunctis complures vocales concurrebant, hoc plerumque illis displicuit neque alio modo quam in confinio verborum vocalium concursum vitare studuerunt; et crasi quidem respondet *συναλοιφή*, synizesis et in fine verborum et mediis in verbis usui est, elisionem in interiore voce factam appellant *συγκοπήν*, *ἔκθλιψιν*, *ὑφαίρεσιν*.

Plerumque duae vocales, nisi integrae servantur, per contractionem eaeque certis ex legibus, aliis in aliis dialectis, in unam syllabam coalescunt, ut e. g. *μυθέεαι* in *μυθεῖαι* (Hom.), rarius alterutra vocalis eximitur, ut in *μυθέαι* pro *μυθέεαι*. Quibus rationibus duae vocales complexione contraherentur, jam dudum in universum definitum est; minus autem adhuc pervestigatum est, quomodo et quibus in formis alterutra vocalis in interiore voce elideretur. Nam Lobeckius, qui totam fere materiam in dissertatione „de syncope unius vocalis“ in Element. Path. I, p. 218 sqq. accuratissime ac doctissime collegit, veteres grammaticos secutus non distinguit syncopen vocalium, quae inter consonantes positae sunt, ab eis exemplis, in quibus alterutra complurium vocalium

concurrentium elisa est. Itaque factum est ut ne certum quidem nomen exstaret, quo haec elisio significaretur. Nos igitur, cum totam rem denuo tractare nobis proposuerimus, primum inquiramus nomen, quo elisionem illam appellemus.

Elisionem internam veteres grammatici modo appellant syncopen, modo ellipsin, modo ecthlipsin vel thlipsin, modo exaeresin vel hyphaeresin. Et syncopen quidem ibi tantum factam esse statuunt, ubi syllabarum numerus, explosa ex media voce syllaba, imminuitur, ellipsis autem nomine aphaeresin, syncopen, apocopen comprehendunt (cf. Lob. Path. El. p. 3), ecthlipsi eandem affectionem significant, quam alibi apocopen appellant, cf. Lob. Path. El. p. 1 sqq. Relicuum est solum hyphaeresis vel exaeresis nomen, quo veteres grammatici elisionem alicujus litterae media in voce factam complectuntur. Ex his enim locis intellegi potest, quae sit hyphaeresis: in E. M. p. 680, 57 legimus: *Πόλυβος· συγκοπὴ καὶ οὐχ ὑφαίρεσις· εἰ γὰρ κατ᾽ ἔλλειψιν ἐγένετο· τοῦ υ, ὤφειλεν εἶναι Πολύβος . . . ὡς ὠκύπους ὠκύπος;* E. M. 82, 18: *τὰ εἰς δος λήγοντα ὀνόματα . . . εὑρίσκομεν παρ᾽ Ἴωσι καθ᾽ ὑφαίρεσιν τοῦ δ λεγόμενα;* schol. Ar. Av. 149: *Λέπρειον καθ᾽ ὑφαίρεσιν τοῦ ι τὸ Λέπρεον εἶπεν.* Nobis igitur licere videtur elisionem vocalis, quae aut inter duas vocales aut ante aut post aliam vocalem facta est, appellare hyphaeresin.

In constituendis finibus hyphaeresis primum distinguendae sunt vocales molles, quo nomine *ι* et *υ* comprehendimus, et durae, quo nomine reliquas significamus. Molles enim vocales compluribus in linguis ante alias vocales in *j* et *v* commutantur, sicut in skt. *gâu-s* gen. *gav-ás*, neque aliter apud Graecos ea aetate, qua ei etiam *j* et *ϝ* pronuntiabant, ex **βου-ος *βοϝ-ος*, ex *ἀκουή *ἀκοϝη* ortum est; tum *j* et *ϝ* evanuerunt, ut in *βο-ός* pro **βοϝ-ος*, ut in verbis in *αω* pro *ajāmi* cet. Posteriore aetate cum Graeci *j* et *ϝ* non jam pronuntiare, itaque etiam *ι* et *υ* in semivocales *j* et *ϝ* commutare non possent, natura quasi mollis harum vocalium videtur eas extenuasse, ita ut modo *ποιέω* modo *ποέω*, et *ἐπή-*

ρεια et ἐπηρεάζω, et καὶ ἐν et κἂν in usu esset. Non tam simplici ratione vocales durae α ε ο — η et ω nunquam elisionem patiuntur — elidi videntur, quoniam semivocales quae eis respondeant, ut *j* et *ϝ* vocalibus ι et υ, non exstant; itaque summo jure in explicanda hyphaeresis ratione eas a vocalibus mollibus segregabimus. Ac nostra quidem disputatio eo potissimum spectabit, ut omnes — quas quidem poterimus — formas, in quibus vocales durae ejiciantur, congeramus et leges vel regulas quasdam investigare studeamus, quas lingua graeca in elidendis vocalibus secuta sit. Sed eas quoque formas afferemus suo quamque loco, quae vocalem amisisse adhuc existimatae sunt, verum injuria. Priusquam autem mediam in rem veniamus, etiam aliud quiddam paucis astringam.

Jam antea monui, hyphaeresi respondere vocalium elisionem, quae in fine verborum fiat; videamus igitur num quid ex comparatione cum illa elisione proficere possimus, quod ad nostram quaestionem illustrandam spectet.

Ahrens in disputationis „de crasi et aphaeresi" p. 1 sq. sagacissime exposuit, elisione seu thlipsi vocalem finalem non prorsus deleri, sed deminui tantum, ita ut exigua quaedam ejus pars relinqueretur, quae neque accentum ferre valeret neque morae vices sustinere, ut in rhythmo pro nihilo habenda esset, prorsus autem evanescere vocalem, si quae voces, elisione facta, praeterea crasi conjungerentur. Neque aliter, ut in universum hyphaeresis naturam explicem, vocales media in voce ejici persuasum habeo; primum enim vocales deminuuntur, sic in *ποιέ*ᵉ*ο*, qua in voce deminutam vocalis potestatem minore litterae ε figura significo pro *ποιέεο*, ut in illo *γαλήν' ὁρῶ*, ut in francogall: *l'amie*, *j'avoue*, quae Ahrens (l. l.) affert. Extenuatae vocales tum paullatim prorsus evanescunt, ut e. g. ε in *ποιέο* pro *ποιέ*ᵉ*ο*. Sed accuratius de hac re in singulis tantum formis judicari potest.

Tum etiam aliud ex comparatione cum externa illa elisione concludere possumus, scilicet syllabas quamvis acutas

elidi posse. An alio modo explicare potes, si *πολλά* vel tale quid in *πόλλ'* ante sequentem vocalem mutatur, quam ita ut *α* acutam elisam esse statuas? Tamen Corssen („Ausspr.“ [2] II, 923) negavit, vocales acutas ejici posse, quod accuratius refellere non mihi opus est, cum jam Curtius ea explicatione, quam in „Stud.“ IV, 223 dedit, plane demonstrasse mihi videatur, Corsseni opinionem nullo modo ferri posse. In ipsa autem disputatione multa exempla afferam, in quibus sine ulla dubitatione vocales acutas elisas esse censendum est, ut in *ἧμας* pro *ἡμέας*, *σφάς* pro *σφέας*, *κράνῖνος* pro *κρανέϊνος*, *τετράπνην* pro *τετραπνόην* cet., quae omnia hoc loco enumerare supervacuum videtur.

Jam cum ad vocalium hyphaeresin ipsam tractandam aggrediamur, primum agemus de eis formis, in quibus vocalis *ante* vocalem ejiciatur, tum de vocalibus *post* alias vocales elisis. Et in priore quidem parte satis variae formae nobis explicandae sunt, ad alteram partem eas tantum spectare intellegemus, quae post *ι* vel *υ* vocalem explodant.

Caput I.

DE VOCALIBUS ANTE VOCALES EJECTIS.

§ 2. DE NOMINIBUS IN *-ες*.

In nominibus quorum stirpes in *-j ς* exeunt complures vocales semper fere consonis elisis congrediuntur, quem concursum vocalium Graeci modo integrum retinent, modo in aliis nominibus alia ratione vitare student.

1. *δεες* sive *δjεj-ες*.

Substantivi *δέος* a *δjεj-ος* derivati (cf. Curt. „Grdz.“ [3] 607) correpta forma non invenitur, nisi in *δέα* pro *δέεα* a Lobeckio (Path. El. I, 260) ex Aeliano allato, quod idem significet quod *δείματα*; sed recte Lobeckius exponit hoc esse

quaesitae cujusdam elegantiae, quod ille atticum χρέα imitatus sibi finxerit. Adjectivorum autem cum -δεες compositorum in homericis carminibus legimus duo exempla, in quibus correptio fit. Constat primum de accusativo singularis ὑπερδέα, qui legitur *P* 330: ὑπερδέα δῆμον ἔχοντες. De θεουδής autem cum magna dissensio sit inter viros doctos, prius nobis demonstrandum est, illam vocem ad hunc locum recte referri. Ac primus quidem Buttmann in Lexilog. I, 169 exposuit, θεουδής non esse contractum e θεοειδής, sed compositum e θεός et δέος; hoc concludi posse ex omnibus locis, quibus Homerus θεουδής voce uteretur, hoc confirmari interpretatione veterum grammaticorum, qui verterent θεοσεβής, εὐσεβής, et usu posteriorum poetarum epicorum; θεουδής igitur, a θεοδεής derivatum, eam vim habere, quam nostrum „gottesfürchtig". Existimat igitur ε vocalem esse elisam, ο autem non aliter productam quam α in voce ἀδεές propter ϝ consonam, quae in δέος post δ posita fuerit. Sed aliis viris offensioni fuit hyphaeresis ε vocalis ante ης; itaque Doederlein („Hom. Gloss." I, 117) censet, ε metathesi facta positam esse post θεο-, e θεοδεής factum esse θεοεδής, θεουδής, ut e πενία πεῖνα, e δόρυος δοῦρος. Verum ε ejusmodi metathesin pati, nec ullo exemplo confirmari potest, nec per se verisimile est. Eadem de causa Düntzer (K. Z. XIII, 16) Buttmanni etymologiam rejicit et Apollonium Dyscolum secutus θεουδής esse compositum cum ἅδεῖν existimat. Cui explicationi et significatio a Buttmanno sagacissime exposita et ipsae litterae repugnant, nam οα nunquam contrahitur in ου, id quod Düntzer fieri vult. Lobeckius autem ad Buttmanni „Ausf. Gramm." II, 450 (cf. Path. El. I, 242) concedit quidem, reperiri ὑπερδέα, ἀκλέα, δυςκλέα altera ε elisa, sed in eo offendit, quod nominativus θεουδής secundum hanc explicandi rationem prorsus singularis sit, in nullius enim antiquioris poetae scriptis inveniri nominativum, qualis est δυςκλής, quo Simmias demum (Anth. P. XV, n. 22. v. 10 (6)) utatur. At analogia, quam Lobeckius desiderat, reperitur; legimus

enim νηλής[1]) pro νηλεής *I* 632, Pind. P. XI, 22, Aesch. Prom. 42, Eur. Cycl. 370; itaque non video, cur poeta non scripserit θεουδής pro θεουδεής. Buttmanni igitur etymologia esse rectissima videtur; quamquam ei non assentior in eo, quod disputavit de *o* vocali producta in *ου*. Nam *j* littera, quae olim in δέος pronuntiabatur (Fick[2] 97 revocat δέος non ad δjεj-ος (cf. „Grdz.“[3] 607), sed ad δϝεj-ος; nihil autem ad hanc quaestionem pertinet, utra consona post δ posita fuerit), vocalem syllabae ante positae neque in *ου* producere, neque omnino mutare potest; *ο* potius longa est ante δjεος ut in ὑποδείσαντες (*M* 413), ut ε in ε̄δεισεν, ut α in ᾱδεές, quibus in vocibus Aristarchus semper simplicem δ scripsit. Itaque mihi quidem verisimile est, *ου* diphthongum errori tantum librariorum et criticorum antiquorum deberi, rectam autem scribendi rationem esse θεοδής (cf. alia exempla id genus a Brugmano Stud. IV, 137 allata). Restat ut dijudicemus, utrum ε in vocibus νηλής, θεουδής elisa an contracta sit cum ης terminatione. Vocalis elisio ut consonae non fit repente, sed pedetentim paullatimque; sic in ὑπερδέα, θεουδέα altera ε non metri causa subito ejecta est, sed propter multitudinem vocalium quamvis acuta cum α primum synizesi conjuncta, tum demum prorsus explosa est. In θεουδής, νηλής autem cum multitudo vocalium causa mutationis esse non possit, putaverim non hyphaeresin, sed contractionem factam esse. An exponere mihi potes, qua ex ratione nomina in -κλέης semper contracta sint in -κλῆς, νηλής, θεοδής autem ε vocalem hyphaeresi amiserint? At accentus demonstrat ε esse elisam! Accentus a grammaticis additus est, qui intellexerunt in θεοδέα, νηλέα ε esse ejectam et inde conclusisse videntur, idem esse factum in θεοδής, νηλής, quae epicae voces ea aetate in usu non erant. Itaque accentus illam sententiam minime

---

[1]) Pro Τερψικλής, Πασικλής, in quibus ε elisam esse Renner („Stud.“ I, 1, 229) contra Kirchhoffi („Stud.“ p. 24) auctoritatem censuit, rectissime substituit Τερψικλῆς, Πασικλῆς Erman (Stud. V, 290).

comprobare potest. Etiam aliis in formis ε ante η elisa esse non recte existimatur, quas infra afferam.

2. δε.=-ες.

Adjectivorum in -δε.=-ες nullam formam repperi, quae ε vocalem amiserit; nam poetae epici nullo adjectivo in -δε.=-ες utuntur nisi ἐπιδευής, apud Herodotum εε servatae esse videntur, sic in ἐνδεέα (II 108), καταδεέα (II 121, 2) ex sententia Bredovi (D. D. Herodot. 257). Cum autem Stein in ed. crit. optimos codices secutus ἐνδεᾶ, καταδεᾶ scribat, quae attica complexio nulla in alia voce legitur, praestat fortasse ἐνδέα, καταδέα scribere, altera ε elisa ut in φοβέαι cet. cf. § 11.

3. κλε.=-ες.

Nomina in -κλε.=-ες aliis in dialectis alio modo tractantur, itaque necessarium videtur, accuratius explorare, quae in quaque dialecto correptae formae exstent.

In *epica* autem dialecto ipsius substantivi κλέος has formas legimus: κλέος nom. et accus. sing. et κλέα, quod semper in formula reperitur κλέα ἀνδρῶν (*I* 189, 524, *ϑ* 73); quam formulam imitatus Apollon. Rhod. (I, 1) scripsit κλέα φωτῶν. α igitur in κλέα natura longa est, sed corripitur ante proximam vocalem. Et duplici quidem modo haec α longa explicari potest. Primum, ut Brugman (Stud. IV, 164) vult, fieri potuit ut prisca forma κλε.=-εσ-α in κλη-ε-α, κλη-α, κλέᾱ commutaretur. Sed jam ipse Brugman (l. l. 175) exposuit, apud Homerum non semper .= cum compensatione elidi, ut in ἀγακλέες cet., tum nunquam pro ipso κλέος κληος in usu erat, deinde legimus in Hes. Theog. v. 100 κλεῖα προτέρων ἀνϑρώπων, quod, dummodo ne commutes in -κλῆα contra traditam lectionem, contractum esse videtur ex κλεεα pro κλε.=-εσ-α. Itaque licet suspicari, etiam κλέα ex κλεεᾱ ortum esse altera ε elisa, terminationis autem vetustissima quantitate servata, ut *Λ* 678 (ξ 100) πώεα οἰῶν, *N* 22 ἄφϑιτα αἰεί (cf. Hartel „Hom. Stud.“ I, 42). Adjectiva quoque ἀκλέα, δυςκλέα, quae initio versus leguntur (δ 728 Ἀκλέα ἐκ μεγάρων, *B* 115, *I* 22 Δυςκλέα Ἄργος ἱκέσϑαι), ab ἀκλη α, δυςκλη α quantitatis transpositione orta esse negaverim. Nam

post primum pedem versus heroici hiatus permissus est, sic in *E* 666 *Μηροῦ ἐξερύσαι, Α* 532 *Εἰς ἅλα ἅλτο;* tum etiam alia adjectiva exstant, in quibus ϝ sine compensatione elisa est, sic: *ἀγακλεές* voc. *P* 716, *Φ* 379, *ἀκλεές* accus. sing. n. *H* 100, *εὐκλεές P* 415, *εὐκλεῖας K* 281, *φ* 331 pro *εὐκλεέας*. In quibusdam tantum formis ϝ productionem suppletoriam efficit; hae sunt: *ἀγακλῆος Π* 738, *Ψ* 529, *ἀκληεῖς M* 318, quod Apoll. Arg. I, 864 imitatus scribit *εὐκλειεῖς* pro *εὐκληεῖς*; ad quas accedunt *ἀκληῶς α* 241, *ξ* 371, *εὐκληῶς X* 110 nisi servatis litteris accentuque mutato *ἀκλείως, εὐκλείως* scribimus. In illis autem locis quamquam concedo contra codicum memoriam scribi *posse* cum Brugmano (Stud. IV, 137) *εὐκλῆας* pro *εὐκλεῖας*, tamen non video quid nos cogat, ut sic scribamus. Nam cum ϝ modo cum compensatione modo sine compensatione elidatur, formae traditae summo jure defendi possunt; in eis enim *εε* in *ει* contractae sunt. Elisa esse *ε* videtur in *ἀκλέες* vel *ἐϋκλέες*, ut Reiskius conjecit pro *ἀκλεεες*, quam vocem legimus in versu Callim. Del. 295: *εὔμοιροι δ' ἐγένοντο καὶ ἀκλέες οὔ ποτ' ἐκεῖνοι.* Sed nescio utrum hac forma Callimachus vocem *ἀκλεές H* 100 non recte imitatus sit, quam non nominativum pluralis numeri, sed accusativum neutri esse Buttmann (Lexil. I, 44) demonstravit, an doricas formas *ἰαρές* al., ut idem scripsit *βιοπλανές*.

In nominibus propriis in *κλεϝ-ες* apud Homerum ϝ semper productionem suppletoriam efficit, tum *η* cum proxima *ε* contrahitur, e. g. *Ἡρακλεϝ-εσ-ος Ἡρακλη-ε-ος Ἡρακλῆος* (cf. Brugm. Stud. IV, 164). Sed exstat etiam brevior forma, quam habes in nominibus: *Ἄμφικλος, Δόρυκλος, Ἔχεκλος, Ἴφικλος, Πάτροκλος, Φέρεκλος.* Haec non composita esse cum *-κλεος* suspicabantur veteres quidam grammatici, nam (cf. E. M. et Suid.) *Ἴφικλος* ex *Ἰφίκολος* deducunt, et scholiasta B. ad *E* 59 hoc adnotat: *Φέρεκλος ὁ κλόνον φέρων διὰ τῶν νέων.* Rectius autem Lobeckius (Path. El. I, 318) perspexit, ea eandem cum nominibus in *-κλῆς* originem habere. Hoc comprobatur eo, quod ejusdem nominis et brevior et longior forma usurpatur in homericis carminibus, sic et

Πάτροκλος et *Πατροκλῆς*, tum apud scriptores, qui post Homerum erant, e. g. ap. Soph. O. C. 1295 *Ἐτεοκλῆς*, 1316 *Ἐτέοκλος*. Quaeritur igitur, quanam ratione haec nomina in *-κλος* ex eadem stirpe derivata sint ac nomina in *-κλῆς*.

G. Meyer (Stud. V, 67) haud parvum numerum nominum affert, quorum stirpes et in *-ο* et in *-ες* exeant; suntne eis etiam *κλεϝ-ες* et *κλεϝ-ο* addenda? Minime quidem. Nam ex radice *κλυ*, ut G. Curtius, praeceptor dilectissimus, me docuit, fieri debebat *κλοϝο-ς*, non *κλεϝο-ς*, ut ex *ῥυ ῥοϝο-ς*, ex *πλυ πλοϝο-ς*. Itaque censendum est nomina in *-κλο-ς* ex nominibus in *-κλης* correpta esse, ut saepissime fit, ut nomina propria majorem correptionem patiantur quam alia nomina. Sic etiam in compositis *Κλεόβουλος*, *Κλεοπάτρη* cet. *κλε-ες* stirps in declinationem in *ο* videtur transiisse.

In dialecto *neo-ionica* nomina propria in *-κλε-ες* semper sic flectuntur: Nom. *κλεης* vel *κλῆς*, Gen. *κλέος* vel *κλεῦς*, Dat. *κλέϊ*, Acc. *κλέα*, N. Pl. *κλέες* (cf. Bred. D. D. Herod. 258, Renner. Stud. I, 1. 229, Erman. Stud. V, 306); in casibus obliquis igitur altera *ε* elisa esse videtur. Sed considerantibus in nominibus propriis in *-κλε-ες* et apud Homerum et apud Hesiodum (cf. Förstemann. D. D. Hesiod. 17) *ϝ* semper productionem suppletoriam efficere concedendum est, *-κλεος*, *-κλεϝ*, *-κλεα* terminationes correptas esse posse ex *-κληος*, *-κληι*, *-κληα*. — Adjectivorum in *-κλεες* Bredow (l. l. 257) nullam formam nisi *ἀκλεᾶ* ex Herod. I, 1 affert, quam Stein in ed. crit. retinet, Bredow autem in *ἀκλεέα* mutari vult. Sed neque *ἀκλεᾶ* neque *ἀκλεέα* ferri potest, nam eo, quod in dialecto epica, in qua cum antiquae cum novis formis tum variae dialecti ionicae et inter se et cum aeolica mixtae sunt, unde fit, ut nomina in *-κλεες* in casibus obliquis in *-κληος* vel *-κλεεος* cet. exeant, minime demonstratur, eandem varietatem formarum etiam in ceteris dialectis exstitisse. Cum autem intellexerimus nomina propria in dialecto neo-ionica semper formas correptas habere, idem censendum est de adjectivis. Itaque utut de origine hujus

formae judicamus, vix dubito quin apud Herodotum *ἀκλέα* scribendum sit.

In dialecto *dorica* nomina propria cum *-κλεες* composita *ε* ex casibus obliquis semper ejiciunt (cf. Ahr. D. D. II, 235); eas enim formas non correptas esse ex *-κληος* cet., concludi licet jam ex ea causa, quod longa forma in *-ηος* cet. nusquam exstat. Vocativi exemplum in purioribus fontibus non reperitur, suspicatur autem Ahrens *Ἡρακλες* doricum esse; quamquam apud Pindarum hos legimus vocativos: P. VII, 15 *Μεγάκλεες*, N. VII, 86 *Ἡράκλεες*. Adjectiva in *-κλεες*, quae non reperiuntur in titulis doricis, apud Pindarum elidunt semper nominativo excepto alteram *ε* ut nomina propria; hae enim formae exstant: *ἀκλεής* O. XII, 15, fr. 82, 5, Genet. vacat, Dat. *εὐκλέϊ* O. X, 85, N. II, 26, N. III, 68. Acc. *ἀγακλέα* P. IX, 106, I. I, 34, *εὐκλέα* O. VI, 76, P. VIII, 62, IX, 56, .N V, 15, VI, 46, *εὐκλέ'* fr. 53, 5, *ὁμοκλέα* fr. 79. *εὐκλέων* I. III, 7, IV, 23; praeterea G. A. Peter (D. D. Pindari 38) affert *εὐκλέας* ex O. II, 90, quod me fugerat. His decem et septem exemplis non respondent duae formae: *εὐκλεᾶ* P. XII, 24 et N. VI, 29, ubi *ε* littera cum *α* esse contracta videtur. Ahrens *εὐκλεᾶ· οἰχομένων* (N. VI, 29) commutari vult in *εὐκλέ' ἀποιχομένων*, Boeckh, cui Peter (l. l.) assentitur, in *εὐκλεῖα· παρ* . ., sed restat etiam alter locus, quem dubito num commutare possimus. Potius cum Bergkio et Mommsenio servandum est *εὐκλέα*; nam Pindarus non semper sibi constat, sed utitur formis vel ex aliis dialectis assumptis, vel non ab eisdem Doriensibus usurpatis, ut epica *Ἡρακλῆι* (I. V, 37) pro eo quod omnibus aliis locis legitur *Ἡρακλέϊ*, et *βασιλῆα* et *βασιλέα* (cf. *Ἀχιλέᾶ* O. II, 79), et *Κλεοῦς* (N. III, 83) et *Κλεός* fr. 29 al. Pindarus igitur non *εὐκλεᾶ*, quae forma apud Atticos demum in usu est, sed *εὐκλέα* videtur scripsisse epico more, ut in Hes. sc. 448 *Ἡρακλέα* legimus pro *-κλῆα* in *Ἰφικλῆα* sc. 54.

Ex dialecto *aeolica* non habeo, quod afferam, nisi arcadicum *Τιμοκλέος* (C. I. G. 1513; cf. Gelbke Stud. II, 37), in quo altera *ε* elisa est.

Atticos semper alteram ε cum terminationibus contraxisse non est quod exponam; sed tres tamen formae commemorandae sunt, in quibus hyphaeresis alterius ε facta est; hae sunt: vocativus casus Ἡρακλες, quo recentes Attici utuntur pro Ἡράκλεες (cf. Lob. ad Phryn. 640 sq.), nominativus pluralis numeri Ἡρακλέες pro Ἡρακλέεες (Plat. Theaet. 169 B.), accusativus sing. εὐκλέᾰ Soph. O. R. 161, quem ex dialecto epica Sophocles assumpsit (cf. Gerth. Stud. I, 2, 255).

Relicuum est, ut quaeramus, utra ε sit elisa. Sine dubio ea vocalis ejicitur, quae ante terminationem posita est, nam ut haec in dialecto attica cum terminationibus contrahitur in unam syllabam, sic eadem in ceteris dialectis synizesi conjungitur cum terminationibus.

4. νηλής.

In νηλής pro νηλεής hyphaeresin vocalis ε factam esse, jam supra negavimus, sed ut θεοδέα ex θεοδεέα ortum esse intelleximus, sic etiam in casibus obliquis adjectivi νηλεής hyphaeresis statuenda est. Primum apud Homerum semper, id est quater et vicies, νηλέϊ pro νηλεέϊ legimus, accusativum νηλέα *T* 229, in h. in Merc. 385; tum eaedem formae reperiuntur et apud Hesiodum, e. g. νηλέϊ th. 316, et apud Pindarum νηλέα P. I, 95. Etiam in attica dialecto exstat forma νηλέα (Soph. O. R. 180), de qua idem censendum est quod de εὐκλέᾰ (cf. Gerth. l. l.).

5. ῥέος.

Imm. Bekker („Hom. Blätter" I, 223) eis verbis, quae ε in declinatione apud Homerum omiserint, annumerat ἐυρρεῖος vel ἐυρρῆος, cui assentiri non possum. Nam nomen ῥέος revocandum est ad stirpem ῥεϝ-ες (cf. „Grdz."[3] 328), a qua adjectivum ἐυ-ρρεϝ-ες. ἐυρρεής derivatum est, ut εὐκλεής a κλεϝ-ες; genetivi igitur prisca forma est ἐυ-ρρεϝ-εσ-ος, inde aut ἐυ-ρρη-ε-ος ἐυρρῆος fieri potuit ϝ cum compensatione elisa, aut ἐυρρεῖος ϝ et σ ejectis et εε in ει contractis. Quae vocalis igitur in forma ἐυρρῆος vel ἐυρρεῖος ejecta sit, non intellego.

6. *σπέος*.

Vocis *σπέος* unam formam reperimus, in qua alteram *ε* esse elisam omnes consentiunt, haec est *σπέσσι* ex *σπέεσσι* pro *σπεϝ-εσ-σι* deducta; *ε* igitur elisa est ut in *καλέσκετο* pro *καλεέσκετο* cet. cf. § 12. Huic dativo *σπέσσι* Oppianum Cyn. IV, 246 adaequasse singularem *σπέϊ* Lobeck Path. El. I, 261 recte perspexisse videtur.

Liceat mihi huic dativo *σπέσσι* alios dativos addere, in quibus *ε* ejecta esse existimatur. Lobeck P. El. I, 259 haec profert: „*δρομέσι, τοκέσι, Σιφάεσι* declinata sunt a nominativo plur.: *δρομέες, τοκέες, Σιφαέες* omisso altero *ε*.“ Sed erravit vir doctissimus, nam dativum ex nominativo ortum esse nullo modo concedi potest. Ego quidem persuasum habeo *τοκέσι* cet. formas extremae graecitatis ex falsa analogia adjectivorum in *-υ* (*ἡδύς* cet.) formatas esse. Neque aliter censendum est de dativo *βοσί* (Anth. VII, 622), qui non ex *βόεσι* deductus, sed ex analogia genetivi *βο-ός* formatus est. Tum Krüger („Gr. Gr.“ § 17, 4, 2) perperam judicavit, in dativis *ἔπεσσι, ἀεικέσσι, πελέκεσσι, δέπασσι, νέκυσσι* alteram *ε* esse ejectam, cum legitima ratione terminatio dativi *-σι* cum stirpibus *ἐπεσ, ἀεικεσ, πελεκεϝ* cet. conjuncta sit.

7. *χρέος*.

Vocem *χρέος* ex *χρηος* pro *χραϝ-ος* correptam esse Brugman (Stud. IV, 158) persuasum habet; tamen in hoc quoque verbo ut in *κλέος* et *σπέος* concedendum est, *ϝ* non semper productionem suppletoriam efficere; nam in Hesiodi opp. 647 *χρέᾰ* reperitur, quod ex *χρέεα* ortum esse jam veteres grammatici recte explicarunt (cf. Her. ed. Lentz II, 245, 11). Neque enim *χρέᾰ* ex *χρηα* transpositione quantitatis facta et *α* vocali correpta deduci potest, cum etiam in dialecto attica *χρέᾱ* (Arist. Nub. 39, 443) cum *α* longa servatum sit; tum *χρειῶν* (Hes. opp. 404), quod in *χρείων* mutetur necesse est, ex *χρεέων* esse contractum videtur, quamquam Brugman *χρηῶν* scribi vult.

S. χρο-ες.

In E. M. 182, 47 ex ignoto poeta affertur ἀχρὴς δ' ἀνέπαλτο et pergit grammaticus ἀπὸ τοῦ ἄχρους τροπῇ αἰολικῇ ὡς φοβήμενος· ἢ ὡς παρὰ τὴν χρόαν μελαγχροίης, οὕτως ἀχροίης καὶ κατὰ συγκοπὴν ἀχρής. Qua ab explicatione non prorsus alienum est id quod Lobeck (Path. El. I, 315) judicavit his verbis: „quicunque hoc usus est adjectivo, certe syncopen fecit vocalis simplicis, quae in primitivo χρόα apparet, non diphthongi οι, quod scholiasta vult;" praeterea Lobeck affert τὸν μελαγχρῆ, τὸ μελαγχρές, in quibus ο ejecta sit.

§ 3. DE NOMINIBUS IN ας.

Nominum in ας nominativus et accusativus pluralis numeri in dialecto epica interdum correptus reperitur; formae enim sunt hae:

γέρᾰ πεσσέμεν (*B* 237). — γέρᾰ καὶ βασιλεῦσιν (*I* 334). — γέρᾰ πάρθεσαν αὐτῷ (δ 66).

κρέᾰ ante consonas legitur his locis: *Θ* 231, *I* 217, *Λ* 76, *Ω* 626, α 112 [ι 162, 557, κ 184, 468, 477, μ 30][2]), ξ 109, ο 140, ρ 331, χ 21, ω 364, h. in Merc. 120, 135; κρέ' ὑπέρτερα: γ 65, 470, υ 279; κρέ' ἔδων ι 297.

οἳ σκέπᾰ μαιόμενοι πυκινοὺς κευθμῶνας ἔχουσι Hes. opp. 532.

τέρᾰ κεῖνα in Nicand. th. 186.

Magna dissensio est inter viros doctos, quanam ratione hae formae explicandae sint. Veteres enim grammatici eas aut syncope exortas esse docent, velut E. M. 227, 17 γέρας· τὰ γέραα ἰωνικῶς καὶ κατὰ συγκοπὴν „γέρα πεσσέμεν" παρ' Ὁμήρῳ, aut apocope, ut Herodianus ed. L. II, 314, 9 κρέα ἀπὸ τοῦ κρέατα γέγονε καὶ κατὰ ἀποκοπὴν τῆς τα συλλαβῆς, συνεσταλμένον γὰρ ἔχει τὸ α. Herodiani sententiam

---

[2]) Hi parenthesis signo inclusi loci praebent formulam: κρέᾰ τ' ἄσπετα.

praeferunt etiam Buttmann et Lobeck (P. El. I, 232), quam refellere non meum esse puto. Aliam viam ingressus est Hoffmann, qui (Quaest. hom. I, 86) statuit, ubique harum formarum vocalem finalem esse ancipitem; sed quis est qui analogia demonstret, fieri posse, ut in dialecto epica α jam sit correpta ut in γέρᾰ, in dialecto attica autem denuo producta (cf. γέρᾱ Soph. El. 443, Eur. Phoen. 874)? Quid? Num credi potest, eosdem poetas usos esse his formis: *κρέαα (cf. τέραα μ 394), κρέᾱ e. g. Δ 345, κρέᾰ, κρέ᾽, quae omnes ex eodem κρέαα ortae sint? Ceterum ipse Hoffmann suspicatur, has formas alio modo explicandas esse, putat enim κρέα fortasse ortum esse non ex *κρέαα, sed ex *κρέεα, debilitata littera α priore; hoc concludi posse ex κρειῶν, quamquam hic genetivus et ipse possit oriri ex producta, post ejectam litteram α, vocali ε syllabae prioris. Vides in qua dubitatione ipse Hoffmann versetur, itaque vix mihi opus est, ejus opinionem accuratius refellere. Sed haec tamen opponere mihi liceat: genetivum κρειῶν non ex *κρεεων, sed ex *κρε-ι-ων pro κρεϝ-jασ-ων deductum esse jam sagacissime demonstratum est (cf. „Grdz.“ [3] 147, Brugm. Stud. IV, 153); tum nunquam in homericis carminibus α littera vocis κρέας in ε mutatur, sed semper α in omnibus nominibus in ας servatur, habes enim has terminationes: αος, αϊ vel αι, αων, ασσι vel αεσσι. In dialecto neo-ionica demum α nominum κέρας, τέρας, γέρας in ε extenuatam esse Bredow (de dial. herodot. 259) docet, in γήραος, γήραι autem et in κρέως, κρεῶν ex κρέαος, κρεάων contractis α in hac quoque dialecto servatam. Defendi igitur nullo modo potest, quod Hoffmann ad has formas explicandas protulit. Non magis placet Kuehneri sententia (Gr. Gr. [2] p. 336, 3), δέπᾰ, κρέᾰ elisione vocalis α esse orta ex δέπαα, κρέαα; qua ex opinione in κρέ᾽ αα decussae esse debent. Itaque inquirendum est, num formae γέρᾰ, κρέᾰ, σκέπᾰ alio modo explicari possint. Incipiamus a κρέᾰ. Jam supra vidimus, stirpes in ος exeuntes saepe alternare cum stirpibus in ο; idem fit in nominibus in ας. Nam composita κρεο-κοπεῖν (Aesch. Prom. 463),

κρεο-φάγος (Herodot. IV, 186) al. non a stirpe κρε-ας derivata sunt, sed a κρεο, idem suadet G. Meyer in „Stud.“ V, 96. Etiam κρέᾰ ab eodem κρεο ductum esse persuasum habeo, ita ut κρέα non tam ad singularem qui est κρέας, sed ad formam quae est *κρέον pertineat. Qua re satis explicatur, cur tot locis κρέα litteram α brevem habeat eamque vel prorsus abjicere possit. Κρέᾱ autem, quod reperitur Δ 345, Χ 347, υ 348, contractum est ex *κρέαα pro *κρεασ-α. Eodem κρέᾱ utitur Antiphanes apud Athen. 9 p. 402 D.: κρέᾱ δὲ τίνος ἥδιστ' ἂν ἐσθίοις, nisi cum Meinekio scribere mavis κρέας. Tertiam stirpem vocis κρέας legimus γ 33, ubi longe plurimi et optimi codices habent: δαῖτ' ἐντυνόμενοι κρέατ' ὤπτων ἄλλα τ' ἔπειρον. Num κρέᾰ apud Atticos in usu fuerit, Buttmann (Gr. Gr. § 54 Adn. 3) in dubium vocat, quod omnibus locis κρέᾰ synizesi unam syllabam efficiat; sed legimus in Ar. Thesm. v. 558 κρέ', quo demonstratur α esse brevem etiam aliis in locis. Cum autem in ceteris vocibus in ας α vocalis pluralis numeri longa servata sit, ut in γέρᾱ Soph. El. 443, Eur. Phoen. 874, κέρᾱ Mosch. II, 87, σέλᾱ Anth. IX, 289, τέρᾱ Ar. Ran. 1343, in κρέᾰ α non potest esse correpta, quod Buttmann suadet, potius etiam atticum κρέᾰ ad stirpem κρεο revocandum est.

In voce γέρα apud Atticos, ut jam exposui, α semper producta est, in homericis carminibus autem brevis, itaque γέρᾰ non ex γέρᾱ pro *γέραα correptum esse potest, sed ab altera stirpe γερο debet esse derivatum, quae brevior stirps etiam in γερη-φορία exstat, quod G. Meyer l. c. p. 96 affert. Neque enim offensioni est, in hoc composito γερη-φορία stirpem in α reperiri, cum saepissime voces in α exeuntes cum vocibus in ο, quae ad eandem originem revocentur, alternare jam nemo esse possit, qui neget; tum exempla hujusmodi in una quaque fere pagina dissertationis G. Meyeri collecta reperies. γερο stirpem etiam in voce laconica γερωχία (cf. Ahr. D. D. II, 62) inesse Curtius me monuit; γερωχία enim contractum est ex *γερο-οχια, quod compositum a *γερο-οχο-ς derivatum est. — σκέπᾰ esse

accusativum numeri singularis, ut *λίπα* et alia sigma finali destituta, Lobeck (P. El. I, 232) suspicatur; sed etymologiam ceterorum verborum, quae Lobeck (Parall. 132) affert, ut quisquam comprobet vereor, cum e. g. *ὕφα* non ab *ὕψ*, sed a stirpe quae est in *ὑφή* derivatum (cf. „Grdz.“ [3] 278), *λίπα* autem non accusativus sing. numeri sed pluralis sit (cf. ib. p. 250). Etiam *σκέπᾰ*, quae forma uno illo Hesiodi loco tradita est, quem supra attulimus, accusativus sing. esse nullo modo existimari potest, itaque non ad nominativum *σκέψ*, sed ad stirpem *σκέπο* revocari debet, a qua stirpe prope abest *σκέπη*, quod idem significat ac *σκέπας*. — *τέρᾰ*, quod in Nicandri th. 186 legimus, ex analogia verborum *γέρᾰ*, *κρέᾰ*, *σκέπᾰ* formatum esse videtur. Qua causa commotus Imm. Bekker („Hom. Bl.“ I, 223) his vocibus *δέπα*, *κέρα*, *σφέλα* adjecerit, non intellego; nam semper in homericis carminibus earum *ᾱ* ante sequentem vocalem jure corripitur; conferas enim *δέπα ἔνθεν τ* 62, *δέπα ἀμφικύπελλα υ* 153, *κέρα ἐκ Δ* 109, *κ. ἕστασαν τ* 211, *κ. ἶπες φ* 395, *σφέλα ἀνδρῶν ρ* 231.

§ 4. DE NOMINIBUS IN *οος*.

A. De compositis in *-θοος*.

Adjectivi *βοηθόος*, cujus pleniores formas legimus in poetarum carminibus, in oratione pedestri jam ab Herodoto semper altera *o* ejecta est, ita ut in nulla forma servaretur. Neque enim contendi potest, *o* in casibus obliquis non esse elisam sed contractam cum terminationibus, cum, ratione traditi accentus non habita (*βοηθοί* enim, *βοηθούς*, non *βοηθοῖ*, *βοηθοῦς* scripserunt Graeci), in nominativo et accusativo singularis *o* sine dubio elisa sit. Nominativum autem et accusativum alia ratione atque reliquos casus formatos esse, quis est qui credat? In ipso autem nominativo hyphaeresis *o* vocalis ita effecta esse videtur, ut *o* prior, non posterior (cf. Curt. Stud. IV, 226), fieret vocalis, ut ita dicam, irrationalis, denique paullatim evanesceret. Eandem

hyphaeresin reperimus in nomine proprio *Βόηθος*, qui legitur apud Andocidem. Etiam verbum *βοηθεῖν* a *βοηθός* derivatum, quo Herodotus et attici scriptores utuntur, satis demonstrat, quam mature *ο* littera primitivi illius *βοηθόος* in oblivionem venerit.

Nomina propria in *-θοος* in homericis carminibus praebent semper formas non contractas, ut *Ἀλκάθοος*, *Ἀρηΐθοος* cet. excepto uno *Πάνθοος*, cujus genetivus est *Πάνθου* (*O* 522, *P* 9, 23, 59), dativus *Πάνθῳ* *P* 40, sed *Πάνθοον* *Γ* 146. Contra codicum auctoritatem Imm. Bekker scribit *Πανθόου*, *Πανθόῳ*, sed dubito, num jure id fecerit. Nam cum permultis formis poetae epici et contractis et non contractis usi sint, idem factum esse in hoc quoque nomine *Πάνθοος* censendum est; minime autem de hyphaeresi *ο* vocalis cogitari potest. In attica dialecto modo non contractas, modo contractas formas reperis, interdum etiam nominativum et accusativum in *-θος* et *-θον* exeuntem, ut *Ἄλκιθος*, *Πείριθος*, quorum *ο* eodem modo evanuit, quo in *βοηθός*, *Βόηθος*.

B. De compositis in *-νοος* et *-νος*.

Adjectiva et cum *νοῦς* et cum *πλοῦς*, *πνοῦς* composita pronuntiata esse, quasi *ο* ante *ου*, *ῳ*, *ων*, *οις* cet. ejecta esset, Kühner (Gr. Gr. p. 317) contendit, verum injuria. Ex generali enim accentus lege, quae valet in compositis, ex *εὔνοος*, *περίπλοος*, *ἐπίπνοος* *εὔνους*, *περίπλους*, *ἐπίπνους* facta sunt. Idem accentus est accusativorum. Mansit autem etiam in reliquis casibus ex illorum analogia accentus in eadem syllaba. Itaque pronuntiantur *εὔνου*, *εὔνῳ* cet., quamquam *ο* acuta cum *ου* et *ῳ* contracta est. Ne accentu quidem in *εὖνοι*, *ἔπιπλοι* posito demonstratur vocalis elisio, nam *οι* diphthongus est semper producta, sive contracta ex *οοι* ut in *εὖνοι*, sive non contracta ut in *ἄνθρωποι*.

Addere vix opus est ex eadem lege etiam nominum propriorum cum *νοῦς* compositorum priores partes semper accentu erigi; qua ex re sequitur, ne ab his quidem nominibus contractionem esse alienam. Solis in nominativis et in

accusativis in *-νος* et *-νον* altera *ο* elisa est, qua de hyphaeresi idem censendum est quod de nominibus in *-θος* pro *-θοος*. Sed cave permisceas nomina simplicia in *νος* cum compositis in *νοος*, cujus erroris auctor est Ruhnken in hist. oratt. p. 127. Eum secutus Buttmann („Ausf. gr. Sprachlehre" I, 156) haec docuit: „Die Eigennamen auf *νοος* kommen theils in ihrer regelmässigen Gestalt vor, z. B. *Ἀλκίνοος* . . ., theils aber auch auf *ος*, woher die Eigenthümlichkeit eintrat, dass diese Verkürzung durch Verlängerung des kurzen *ι* oder *υ* in der vorhergehenden Silbe ersetzt ward, z. B. *Πασῖνος, Κρατῖνος, Εὐθῦνος*." Assentiuntur Pott in „K. Z." VI, 241, Kühner in gr. gr. p. 314, 5, Meister in Stud. IV, 388. Quae sententia, quamquam jam a Lobeckio accuratissime refutata est, miror quod semper denuo proferatur. Lobeck enim (proll. 203) demonstravit, nomina in *-ῖνος* esse simplicia, non composita cum *νοῦς*; nam crebra esse attenuatae ultimae syllabae exempla, in nullo autem vocalem antecedentem productam apparere. Equidem cum denuo quaererem, quaenam nomina et in *ινοος, υνοος* et in *ινος, υνος* exstarent, exempla a Benselero („Wörterb. d. gr. Eigenn." p. XXI) collecta haec quattuor inveni: *Εὐθύνους* et *Εὔθυνος, Ἡγησίνους* et *Ἡγησῖνος, Καλλίνους* et *Καλλῖνος, Πασίνους* et *Πασῖνος*. Quaeramus igitur, num in his nominibus deminutio terminationis antecedentem vocalem produxerit. Primum *Εὐθῦνος* num revera exstiterit dubium est, cum de quantitate *υ* vocalis nihil constet; non enim legitur apud poetas nisi in versibus comicorum ab Athen. 8, 342 e et 9, 379 e allatis, ubi *υ* vocalis, cum utroque loco initio tertiae trimetri iambici dipodiae legatur (*Εὔθυνος δ' ἔχων, Εὔθυνος φακῆν*), utrum brevis an longa fuerit, incertum est. Ceterum *Εὔθυνος* revera correptum esse videtur ex *Εὐθύνοος*. *Ἡγησῖνος* autem et *Ἡγησίνους* non eundem virum significant, nihil igitur nos impedit, quominus diversam utriusque nominis originem fuisse censeamus. Aliter res se habet in tertio nomine: Terentianus enim elegiaci carminis auctorem, qui ab aliis semper *Καλλῖνος* appellatur, *Callinoum* vocat

(cf. Lob. l. c.), sed jam Lobeck recte exposuit, id non esse argumentum idem nomen fuisse; nam Graecis hanc licentiam consuetudinem dedisse, ut nominum propriorum terminationes susque deque haberent, idemque attulit multa exempla, quibus demonstratur idem nomen saepe diversas terminationes habuisse. Huc accedit, quod si *Καλλίνοος* idem nomen esset quod *Καλλῖνος*, *ι* longa esse debet, quod nullo modo fieri potest. Nam *Καλλί-νοὸς* nomen eodem modo formatum est ac *Καλλί-μαχος*, *Καλλι-κράτης* cet., in his *ι* vocalis cum brevis sit, ne in illo quidem producta esse potest. Quibus omnibus de causis prorsus negandum est, *Καλλῖνος* ex *Καλλίνοος* deductum esse; potius *Καλλῖνος* est simplex nomen, *Καλλί-νοος* compositum. Idem statuendum est de *Πασῖνος* et *Πασίνους*: *Πασῖνος* enim legimus apud Isocr. 19, 18; ejusdem loci meminit Harpocration: *Πασίνους· Ἰσοκράτης Αἰγινητικῷ ὄνομα κύριον*, et Suidas: *Πασῖνος ὄνομα κύριον*. *Πασίνους* igitur aut non recte traditum est, aut eis defenditur quae Lobeck de *Καλλίνους* nomine disputavit. Nullo modo autem *Πασῖνος* ex *Πασίνοος* derivatum esse potest.

C. De aliis adjectivis in *-οος*.

1. *δίκροος*.

Breviores formas adjectivi *δίκρους* habes in versu Callimachi (cf. E. M. 276, 21; Her. ed. L. II, 385, 17) *δίκρον φίλτρον ἀειραμένη* et in Hesychi glossa *δίκρα ὀσφῦς* (*ὄψις*) ex Aeschylo allata. Priusquam autem dijudicare possumus, num in his formis hyphaeresis vocalis *ο* facta sit, de origine hujus vocis agendum est: *δίκρους* est *biceps*, *bifidus*, itaque ad rad. *καρ* revocandum esse videtur (cf. Herod. l. c.). Ut enim a rad. *καρ* variis suffixis adjectis derivata sunt *καρ-ας*, *κρ-άνο-ς*, *καρ-ασ-ϝατ* cet. (cf. Siegismund Stud. V, 147), sic etiam *καρ-ο* et *καρ-ο-ϝο* ab eadem radice deduci possunt; a *καρ-ο* syncope *α* vocalis facta ut in *κρ-ανο* derivatum est *δί-κρ-ο-ς*, a *καρ-ο-ϝο δί-κρ-ο-ο-ς*. De hyphaeresi igitur *ο* vocalis in *δίκρον*, *δίκρα* cogitari non potest.

2. Adjectiva in -*ξόος*.

Apud Aristophanem legimus adjectivi *δορυξόος*, quod apud veteres Atticos et apud Dio. Chrys. atque Plat. exstat, has correptas formas: *δορυξός* in Pac. v. 447, *δορυξόν* v. 549, *δορυξέ* v. 1260. *ο* igitur eaque acuta ejecta est prorsus eadem ratione, de qua jam vidimus in *βοηθός*. Eandem affectionem patitur *λαξός* ab Herodiano (ed. L. II, 250, 24) traditum: *ἡ λαξός· ἀπὸ τοῦ ἡ λαξόος (λαοξόος) ἡ λαξός ὡς βοηθόος βοηθός*. Alio loco *λαξός* non reperitur.

3. *ὀλοός*.

Uno loco pro *ὀλοός* legimus *ὀλός*, quem affert Herodianus (ed. L. II, 250, 13) ex Alcmanis versu: *ἔχει μ' ἄχος, ὦ ὀλέ δαῖμον* (Bergk[3] fr. 55 *ὦ 'λέ*). Ipse Herodianus dubitat, utrum *ὀλέ* derivandum sit ab *ὀλοός* an ab *ὀλός*. Sine dubio autem syncope non statuenda est, sed revocandum est *ὀλέ* ad *ὀλός*. Ut enim *ὀλοός* ortum est ex *ὀλ-ο-ϝό-ς* (vel *ὀλ-ϝο-ς* cf. „Grdz.“[3] 524), sic *ὀλ-ό-ς* sine suffixi *ϝο* ope, ut *δίκρ-ο-ς*; nisi *ὀλός* derivare mavis ex *ὀλ-ϝο-ς ϝ* sine compensatione elisa; haec metathesi servata est in homerica voce *οὐλέ* pro *ὀλ-ϝε* (cf. „Grdz.“[3] 347).

4. Adjectiva in -*πλοος* et -*πλος*.

Etiam adjectivorum *ἁ-πλοῦς, δι-πλοῦς* breviores formae *ἁ-πλό-ς, δι-πλό-ς* exstant, quae non ex illis correptae sunt (cf. Joh. Schmidt. K. Z. XVI, 430, Fick[2] 373, Siegism. Stud. V, 164). Priscam enim formam agnoscit Siegismund in *δίπολο-ς* (Aesch. fr. 193); praeterea *διπλός* servatum est in *διπλ' ἐρέω* (Empedocl. ed. Karst. v. 88), quod Lobeck (Path. El. I, 299) non recte mutari vult in *δίσσ'* vel *διπλᾶ ἐρέω*, et in *διπλεῖ* (in tab. heracl. 1, 109), in quo Meister (Stud. IV, 388) *ο* priorem elisam esse censet. Num his addendum sit *διπλά*, quod legimus in Anth. Pal. 10, 101, Oppian. Cyn. 2, 449, Hal. 4, 657, addubito, nam in recenti lingua saepissime adjectiva in -*οος* correpta sunt in *ος*; itaque etiam *διπλά* esse recentem formam et ex *διπλόα* debilitatam censendum est, nisi fortasse poetae illi priscam formam *διπλός* imitati sunt. Eandem recentem formam agnoscimus in eis,

quae Tzetzes ad Lycophr. v. 521 non „temere“, ut W. Dindorf in Steph. Thes. s. v. *διπλά* autumat, sed recte explicavit: *διπλὸς δὲ κυρίως καὶ ἐξ αὐτοῦ διπλοὶ ὀξυτόνως.* Nam de recentiore forma cogitat Tzetzes, non de attica, quod *διπλοῖ* non *διπλοί* in attica dialecto pronuntiabatur (cf. Soph. Aj. 960, Philoct. 793 al.).

ἁπλός non exstat, nisi in Cram. Anecd. Ox. II, 331, 19, ubi grammaticus *ἁπλός* ex *α τὸ σημαῖνον ἕν* et *τὸ πέλω* deducit; itaque nescio utrum recenti forma *ἁπλός* usus sit, an eam etymologiae gratia sibi finxerit.

5. *-πνόος.*

Lycophron v. 1313 *τετράπνην* scripsit pro *τετραπνόην*, fortasse similes formas epicas imitatus.

6. *-ρροος.*

Ex *χειμα-ρροϝ-ο-ς* ortum est *χειμά-ρρο-ο-ς* (cf. „Grdz.“ [3] 328), quam vocem legimus *N* 138, *χειμάρρους Λ* 493; *ο* autem esse elisam in *χείμαρροι Δ* 452 contendunt (cf. I. Bekk. „Hom. Bl.“ 223; al.). Sed jam veteres quidam grammatici *χειμάρροι* scribendum esse docent, quod elucet ex verbis Herod. II, 46, 30: *Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης παροξύνει ἐπεὶ τὸ ἑνικόν ἐστι χειμάρρους, Νικίας δὲ ὡς εὔφωνοι,* praeterea cf. E. M. 810, 13 *χειμάρροι ἀλλ' οὐ χείμαρροι ὡς οἱ πολλοὶ φασίν,* aliter Poll. I, 187 *χείμαρροι προπαροξυτόνως* (cf. Lob. Path. El. I, 316). Quare quamquam Herodianus ipse Niciae rationem probavit, tamen altera praeferenda esse videtur. Sed ut jam Homeri aetate accentus retractus et *χείμαρροι* pronuntiatum sit, id tamen non alio modo ex *χειμάρροοι* ortum esse potest ac *χειμάρρῳ* ex *χειμαρρόῳ* (*E* 88), *Πάνθου* ex *Πανθόου.* An existimas in *χειμάρρῳ, Πάνθου, εὔνου* cet. *ο* esse contractam cum terminationibus, in *χειμάρροι* autem elisam? Contractio igitur, quam in dialecto attica in omnibus formis factam videmus, in *χειμάρροι, χειμάρρῳ* jam antea tentata est.

Correpta forma *χείμαρρος* inde a Pausaniae demum aetate in usum venit.

7. *-σσόος.*

Adjectivi *δορυσσόος* correpta forma nullo loco exstat, sed nomen proprium *Δόρυσσος*, quod quin *δορυσσόον* significet non recte addubitat Lobeck (Path. El. I, 318); id enim ex *Δορυσσόος* ortum est ut *Βόηθος* ex *Βοηθόος* cet.

8. *-χόος.*

Χρυσοχόος adjectivi vocativum *χρυσοχόε* legimus e. g. in Ar. Lys. v. 408, genetivum *χρυσοχόου* apud Dem. or. *κατὰ Μειδίου* 520, 16, accusativum *χρυσοχόους* in Plutarchi scriptis. Apud Galenum (II, 717, 2) demum et Greg. Naz. *χρυσοχόος* in *χρυσοχός* corripitur.

9. *-χροος.*

Cum jam supra (§ 2, 8) viderimus in vocibus *ἀχρής, μελαγχρής* vocalem aliquam elidi, non mirum est quod *o* ejicitur in adjectivis in *-οος* ab eadem stirpe derivatis. Sic habes Hesychi glossam: *ἀμείψιχρον· μεταβάλλοντα . . .*, sic legimus in Ap. Rh. 4, 359 *μελιχραί*, in Dio. Cass. 51, 12 *μελιχρὰ ἄττα*; pleniorem formam *μελίχροος* Galenus ex Hippocrate affert. Addere liceat nomen proprium *Μέλαγχρος* ex *Μελάγχροος* correptum, quod legimus in Alcmanis fr. 21 (Bergk [3]).

§ 5. DE NOMINIBUS IN *-εος.*

Ut nomina in *-οος* corripiuntur in *-ος* lingua jam senescente, sic etiam nomina in *-εος* (cf. Lob. Path. El. 251), quorum hae formae exstant: *ἀνθηφοινικά* (Diosc. Mat. IV, c. 35), *ὀστά* pro *ὀστέα* in Oppian. Cyn. V, 208 (cf. Lehrs. quaest. ep. 306), *πορφυροί* saepe, *συφός* in Lycophr. v. 676 pro *συφεός*, quod in Hom. Odyss. legimus, *ἐτός* pro *ἐτεός* e **sat-ja-s* derivatum (cf. „Grdz.“ [3] 196), in *κενός* et *κενεός* (cf. ib. 140). In aliis nominibus Lobeck (l. c.) recte vidit non syncopen, sed liberam terminationis variationem, ut in *ἐρινός* pro *ἐρινεός*, al. Eodem modo explicari debet (*φρένας*) *ἠλέ O* 128 pro (*φρένας*) *ἠλεέ β* 243 (cf. *ἠλεός ξ* 464), cui Lobeck (Path. El. I, 257) verisimile esse

putat ὦ μέλε, quod defluxerit ex μέλεος; sed μέλε ad aliam stirpem revocandum esse ac μέλεε demonstrat Curtius in „Grdz.“ 3 307. ἠλ-ό-ς potius e stirpe ἀλ videtur esse deductum (cf. „Grdz.“ 3 509) ut ἄλ-η, et ἠλ-ε-ό-ς ex ἠλ-ο suffixo -εο addito ortum ut ἀλ-έ-η.

§ 6. ADVERBIA IN α.

Veteres grammatici adverbia ὦκα, σάφα, κάρτα cet. orta esse ex ὠκέα, σαφέα, καρτέα existimarunt (cf. Her. ed. L. I, 488, 13), eis assentiuntur Kissling (K. Z. XVII, 200) et Kühner (gr. gr. 146, 729). Sed jam Buttmann et Lobeck haec adverbia alio modo orta esse censuerunt, et ille quidem („Ausf. Gr.“ II, 266) suspicatur, adverbia ὦκα, σάφα, λίγα, quamquam eorum adjectiva in -υς vel -ης exeant, ad stirpes in -ος -ον revocanda esse; hic (Path. El. I, 207) persuasum habet, syncopen his adverbiis non esse concedendam.

Accuratissime Kissling (l. c.) de his adverbiis agit; videamus igitur, quo modo ea orta esse censeat: τάχα, ὦκα, λίγα, κάρτα, ὄχα revocat ad *ταχ-εϝ-α, *ὠκ-εϝ-α, *λιγ-εϝ-α, *καρτ-εϝ-α, *ὀχ-εϝ-α; σάφα, μίγα, ῥίμφα ad *σαφ-εσ-α, *μιγ-εσ-α, *ῥίμφ-εσ-α; ε syncope esse elisam, deinde ϝ et σ evanuisse existimat. Cui explicationi nullo modo assentiri possumus, nam e *σαφ-σα, *μιγ-σα, *ῥιμφ-σα fieri debebat *σαψα, *μιξα, *ῥιμψα. Itaque haec quidem series statuenda erat: *σαφ-εσ-α *σαφ-ε-α σάφα, *ταχ-εϝ-α *ταχ-ε-α τάχα cet.; sed haec quoque non placet, neque enim intellego, quomodo fieri possit, ut in his omnibus adverbiis ε semper sit elisa ita, ut nullo loco plenior forma servata sit. Ubi enim hyphaeresin vocalium quae dicuntur durarum factam esse intellegimus, semper pleniores formas reperimus; praeterea in his adverbiis antiquissimae formae servatae sunt, nam eorum, ut ipse Kissling exposuit, in homericis carminibus maximus usus est, posteriore aetate paullatim adverbiis in -ως cedunt. Potestne igitur in eis hyphaeresis ε vocalis statui? — Sine dubio ea alio modo orta esse debent. Videamus igitur num

rectam rationem inveniamus et incipiamus ab adverbiis a stirpibus in *-υ* derivatis.

Ut a stirpe *πολι* et *πολι-ος* et **πολεϝ-ος* deducuntur, ita etiam a stirpe *ὠκυ* derivari possunt et **ὠκυ-ος* et **ὠκεϝ-ος*. Formae quidem pura *υ* servata non exstant nisi in nominativo et accusativo *ὠκύ-ς, ὠκ-ύ-ν*, sed sine dubio statuendae sunt in comparativis et superlativis adjectivorum in *υ*: *τάχ-ιστος* enim non ex **ταχ-εϝ-ιστο-ς*, sed ex **ταχυ-ιστο-ς, θᾶσσον* ex **ταχ-υ-ιον, ὤκιστος* ex **ὠκυ-ιστος, ἐλάχ-ιστος* ex *ἐλαχυ-ιστος* orta esse demonstratur linguis cognatis. Nam in lingua sanscrita stirpes in *u* in his formis non augentur, sed *u* ante suffixa comparativi et superlativi eliditur (cf. Bopp „Skt. Gr.“ [4] 148); idem fieri invenimus in ling. zend., sic habes e. g. ex stirpe *âçu* orta skt. *âç-ishṭha*, zd. *âç-ista*, *ὤκ-ιστος* lat. *ôc-is-simus* (cf. Bopp. „Vergl. Gramm.“ [3] II, 37), ex *svâdu* orta skt. *svâd-îjas, svâ-dishṭha, ἥδ-ιον ἥδ-ιστο-ς*, lat. *suâ-v-ior* cum *u* vocali servata pro *suad-u-ior*, cet. Ut igitur *τάχ-ιστο-ς* a **ταχ-υ-ιστο-ς, υ* vocali elisa, deductum est, sic etiam *τάχα* ex **ταχ-υ-α, κάρτα* ex **καρτυα*, quorum optime concinit theod. vet. *harto*, *ὦκα* ex **ὠκυα, λίγα* ex **λιγυα, θάμα*, quod Kissling non attulit, ex **θαμυα* orta esse censendum est. Vocem *ὄχα*, quam Kissling ad *ὀχεϝ-α* revocat, forsan rectius cum *ἔξοχον* conferas, sed adhuc nihil de stirpe hujus vocis constat.

Adverbia *σάφα, μίγα, ῥίμφα* Kissling revocat ad stirpes in *-ες*; eodem jure tamen e stirpibus in vocalem desinentibus deduci possunt. Nam ab eadem stirpe ac *σαφ-ες* est derivatum *σοφ-ό-ς*, itaque *σάφ-α* quoque, quamquam usu propius ad *σαφής* accedit, tamen a stirpe *σαφα* ductum esse suspicor. Tum *μίγα* a *μίγ-δα* sejungi non potest, quod *μίγα* eandem significationem habet ac *μίγδα*; *μίγ-δα* autem ex **μιγ-δja* pro **μιγ-ja* ortum est (cf. „Grdz.“ [3] 592); ex eodem **μιγ-ja* derivari potest *μίγα* ut *μίγ-δην* ex **μιγ-διην* al. Adjectiva *ἀ-μιγ-ής, συμ-μιγ-ής*, quae Kissling affert, in recenti demum attica dialecto reperiuntur, itaque demonstrare non possunt *μίγα*

ex *μιγ-εσ-α derivatum esse. Deinde origo vocis ῥίμφα adhuc ignota est, nam χαμαιριφής, quod in Suidae lexico legimus, Kisslingi sententiam comprobare non potest, ῥίμφα esse correptum ex *ῥιμφ-εσ-α. Etiam reliqua adverbia, quae Kissling ad stirpes in consonas revocare vult: πύκα, ἄντα, μάλα, ἧκα, ῥεῖα alia ratione exponenda sunt. Cum πύκ-α enim conferas skt. *pûg-a-s* (cf. „Grdz.“ [3] 269); ἄντ-α ab ἀντ derivatum est ut ἀντ-ί (cf. ib. 194); cum μάλα optime concinit comparativus *μᾶλλον pro *μαλ-ιον. Stirpes aliarum vocum ut ἧκα, ῥεῖα nondum ad liquidum perductae sunt, sed etiam in eis ε elisam esse, ex causis jam expositis negari debet et Kissling ipse (l. c. 201) adverbia ut ἅμα, κρύφα, σῖγα a stirpibus in α derivata esse non negat.

§ 7. DE PRONOMINE REFLEXIVO ET POSSESSIVO.

In pronominis personalis tertia persona hyphaeresis ε vocalis facta est, nam e stirpe σϝε ortum est σεϝε vocali quam dicunt irrationali inter σ et ϝ consonas interjecta (cf. Rumpf in „Fleckeiseni Annal.“ vol. 81, 683); e stirpe σεϝε vel ἑϝε derivata sunt ἑοῦ (cf. Apoll. de pron. 98 C), ἑοῖ, ἑέ et ε vocali elisa οὗ, οἷ, ἕ. Quae hyphaeresis fortasse sic facta est, ut prius ε cum sequenti vocali synizesi conjungeretur, tum paullatim evanesceret.

Pronomina possessiva ἐμός, σός, ὅς, ἁμός, ὑμός, σφός ab *ἐμεος, *σεος (τεός) cet. ε elisa deducta sunt, nam stirpes horum pronominum sunt ἐμε, σε, ἁμε cet., quae exstant in lat. *me-u-s*, *tu-u-s*, *su-u-s*, in ἁμέ-τερος, ὑμέ-τερος cet.; praeterea etiam in lingua graeca pleniores formae servatae sunt, inveniuntur enim hae: τεός dor., ἑός dor. et ep., σφεός in Alcm. fr. 31 (Bergk [3]) et ap. Ap. Rh. Quo modo autem ε in illis formis ejiciatur, monosyllabum τεός, quod ut θεός (Pind. Pyth. I, 56) unam moram efficit, demonstrat. Legitur enim in versu Praxillae (fr. 1 Bergk.[3]): ἀλλὰ τεὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπει-

ϑον; in *τεὸς* igitur synizesis facta est *ο* vocali non producta, sic in omnibus his pronominibus *ε* synizesi cum sequenti vocali conjungitur. Idem factum esse videmus in pronominibus reflexivis *ἐμαυτοῦ*, *σαυτοῦ*, *αὑτοῦ*, quae ex *ἐμεαυτοῦ*, (ion. *ἐμεωυτοῦ*), *σεαυτοῦ*, *ἑαυτοῦ* orta sunt. Ion. *ἐμεωυτοῦ* autem contractione quadam ex **ἐμεοαυτοῦ* derivatum esse non potest, ut Brugman (Stud. IV, 133) suspicatur, nam in compositis *ο* finalis prioris vocis ante vocem a vocali incipientem semper eliditur (cf. § 9).

De aliis pronominibus correptis v. § 11 et 12.

§ 8. DE HYPHAERESI INITIO VOCABULORUM FACTA.

Elisionem *ε* vocalis in pronomine *ἑός*, *ἑέ* hyphaeresin, non aphaeresin appellavi et id quidem jure; nam nihil refert utrum sonus, a quo vox incipit, spiritus, sive asper sive lenis, sit, an alia quaelibet consona. Eandem hyphaeresin reperimus in paucis aliis vocibus: *Ἕεις* enim pro *εἷς* legimus in Hes. th. 145; sed in dubium vocatur, num hac voce prisca forma servata sit: potius cum veteribus grammaticis (cf. Her. ed. L. I, 373, 7) pleonasmum *ε* vocalis statuendum esse censet Leo Meyer (K. Z. VIII, 129). Quae explicatio non excusatur nisi eo quod alio modo *ἕεις* explicari non potest. Suspicor igitur *ἕεις* pro prisca forma habendum esse, ex qua aliae formae *εἷς*, *ἑνός* cet. ortae sunt. In omnibus enim linguis indogermanicis nomen numerale „unus“ cum aliquo suffixo formatum est (cf. Leo Meyer. K. Z. V, 161) ut skt. *ê-ka*, zd. *aê-va*, lat. *oi-no-s* cet., sic etiam graecum „*εἷς*“ vel „*ἕεις*“ non sine suffixo ex **sam-s*, sed cum aliquo suffixo ex *sa* formatum esse censendum est. Videtur autem *ἕεις* ortum esse ex **sa-van-s*, ex quo factum est **ἑενς*, *ἕεις*; in *εἷς*, *ἑνός*, *ἑνί* *ε* vocalis elisa est ut in *ὅς* vel in *οὗ*, *οἷ*, *ἕ*. Fortasse etiam in aeolica forma *ἵος*, *ἵα* (accentum traditum *ἰῷ* non curo) *ε* elisa est. Ut enim *μ-ία* ex **ἑμ-ια* vel **sm-ia* pro **sam-ia* (cf. „Grdz.“ [3] 365) derivatum est, sic *ἵος* ex **ἑ-ιο-ς* pro **sa-ia-s* ortum esse videtur, spiritu aspero aeolico more

in spiritum lenem mutato et ε ut in ὅς cet. elisa. Quae etymologia eo quoque probatur, quod hoc modo omnes formae ejusdem nominis numeralis ex eadem stirpe derivantur (cf. quod Leo Meyer K. Z. VIII, 140 et Ahrens ib. 343 de origine vocis ἴος suspicantur).

In ionico ὁρτή, sive ex ἑορτή (cf. „Grdz.“ [3] 529) sive ex ϝεϝορτή (cf. Sonne K. Z. XIII, 442) orto, ε elisa est vel potius evanuit eo modo, quo jam saepius vidimus paullatim vocales ante vocales evanescere.

Non autem aliarum vocum, in quibus ε vocalis praeposita est (cf. „Grdz.“ [3] 527 sqq.), ut in ἕεδνα, ἐειδόμενος, ἐἴκοσι[3]), breviores formae ἕδνα, εἰδόμενος cet. ex amplioribus correptae sunt, nam in ipsa dialecto homerica et ἕδνα et ἕεδνα, et ἕρση et ἐέρση cet. leguntur, tum non in omnibus dialectis eis vocibus ε praeponitur (cf. boeot. ϝίκατι).

Num Herodotus οἶκα pro ἔοικα scripserit, a Lhardyo (Quaest. d. dial. Herod. cap. I) in dubium vocatur, sed hoc ita esse demonstravit Bredow (d. dial. Herod. 194 sq.), praeterea nunc quidem ex Steini editione critica apparet, optimos codices semper fere οἶκα praebere; etiam Renner (Stud. I, 2, 22) οἶκα formam defendit. In hac voce igitur hyphaeresis ε vocalis facta est.

Ὤν, ὄντος ex ἐών, ἐόντος cet. pro *ἐσ-ων, *ἐσ-οντος ortum est hyphaeresi facta; contra in heracl. ἔντες nulla vocalis excidit (cf. Meister Stud. IV, 434).

§ 9. DE COMPOSITIS.

In compositis, quorum prior pars e voce in α vel ο exeunte constat, altera autem a vocali incipit, α vel ο vocalis prioris partis semper exploditur; nunquam aut servatur α et ο, aut vocalis initialis alterius vocis ejicitur (cf. Curt.

---

[3]) Curtius „über die Tragweite der Lautgesetze“, Ber. d. K. S. G. d. W. 1870 p. 35 suspicatus est ἐείκοσι fortasse errore quodam ex ἔἴκοσι ortum esse.

„Schulgr.“ § 354, L. Meyer „Vgl. Gr.“ I, 305). Qua ex lege concludimus, vocalem jam elisam esse, cum illae duae voces in unam conjungerentur; i. e. nunquam pronuntiatum esse *δημο-αγωγός, sed semper δημ-αγωγός, ἰσ-άργυρος, διφρ-ηλάτης, ὁδ-ηγός. Itaque haec elisio non hyphaeresis, sed rectius apocope vocanda est.

Ubi autem ο servatur, quamquam altera vox a vocali incipere videtur, semper consona quaedam evanuit, sic in δημιουργός pro *δημιο-ϝεργός, ἀστερο-είδης pro *ἀστερο-ϝείδης, χειρο-ήθης pro *χειρο-(σ)ϝήθης, πυλα-ωρός, θυρα-ωρός pro *πυλα-ϝορος, *θυρα-ϝορος (cf. „Grdz.“ [3] 324 et Brugm. Stud. IV, 174), θυρωρός ex θυρα-ωρός contractum est. Hanc legem non secuntur νεο-αλδής, nisi cum Curtio („Grdz.“ [3] 215) νειαλδής scribendum est, et nonnulla composita posterioris aetatis, ut νεο-αύξητος, ἰσο-ευρής cet. (cf. Curt. „Grdz.“ [3] 215).

§ 10. DE NOMINIBUS DERIVATIS.

Eadem lex, quam in compositis valere intelleximus, etiam in simplicibus nominibus formandis observatur. Semper enim ante suffixum, quod a vocali incipit, vocalis vocis stirpem claudens ejicitur, sic praecipue ante ι: Πριαμ-ίς pro *Πρίαμο-ίς, βασιλ-ικό-ς pro *βασιλε(ϝ)-ικο-ς, εὔνο-ια pro *εὐνοϝο-ια, Βοηθοίδης pro *Βοηθοϝο-ίδης, ἀστ-ός pro *ἀστυ-ός, ἥδ-ιον pro *ἡδυ-ιον, τάχ-ιστος pro *ταχυ-ιστος, πρ-ίν pro *προ-ιν (cf. „Grdz.“ [3] 267).

Non meum est hoc loco omnia suffixa afferre, ante quae vocales elisae sunt; satis videtur totam rem attigisse, sed addere liceat, cavendum esse, ne huic legi majorem amplitudinem tribuas, ne existimes e. g. ε vel ο esse elisam ante ι, ubi ι potius extenuata est ex ε vel ο, ut in Κρονί-δης a stirpe Κρονο.

Ubi autem vocalis ante suffixa servatur, vocis stirps olim in consonam exiit, sic in κρανέ-ινος, μελέ-ινος, ὀστέ-ινος, Ἡρακλεΐσκος cet., sed in his quoque ε eliditur posteriore aetate, nam legimus κράνινος, μέλῖνος (cf. E. M. 577),

ὄστινος (cf. Lob. ad Phryn. 262), Ἡρακλίσκος in Theocr. id. 24. — Jam paucis absolvam nomina a stirpibus in ες, ο-ο, ε-ο derivata, quorum simplicia saepe vocalem ejecisse antea vidimus.

Grammatici tradunt (cf. Herodian. II, 331, 30) κλεινός, δεινός syncope decurtata esse ex κλεεινός, δεεινός, et affert Suidas δεεινός, sed locum non addit, quo legerit. Sine dubio autem illi homines δεεινός, κλεεινός sibi finxerunt, ut multa alia, nam δει-νός a rad. δει cum suffixo νο (cf. „Grdz.“ [3] 221, 607), κλε-ινο-ς a rad. κλε- cum suffixo ινο (cf. ib. 144) formata sunt. Idem censendum est de θέειος „divus“, quod Proclus (h. in Ven. 2, 16) e θεῖος distraxit; θείιος „divus“ Bion 6, 9 ex analogia homerici θήιον pro attico θεῖον „sulphur“ et distractione ῃ in ειη sibi finxisse videtur. Ejecta autem esse ε videtur in substantivis ab adjectivis in ε-ες derivatis, ut in εὔκλεια ab εὐκλεής, ἄδεια ab ἀδεής, ἔνδεια ab ἐνδεής. Sed videamus primum, quid veteres grammatici de hac re judicarint; legimus enim in Choeroboscі Orth. 179, 6 haec: ἐκ τοῦ ἀδεής ἀδέεια καὶ κατὰ συγκοπὴν ἄδεια; E. M. 714, 53: σιτοδεής σιτοδέεια καὶ ἀφαιρέσει τοῦ ε σιτοδεία; Her. ed. L. II, 331, 16: ὡς εὐγενής εὐγένεια οὕτως εὐκλεής εὐκλέεια καὶ ἐνδεής ἐνδέεια καὶ κράσει εὔκλεια καὶ ἔνδεια. Herodiani quidem sententiam jure Lobeck (Path. El. I, 243) refutavit, quod si haec contracta essent, circumflecteretur penultima; Lobeck autem ipse putat propiorem esse syncopae suspicionem. Potius, ni fallor, εὔκλεια alio modo formatum est atque ἄδεια, ἔνδεια cet., nam εὔκλεια vocis, quam jam in homericis carminibus reperimus, priscam formam esse *εὐκλε-εσ-ια censendum est; ex *εὐκλε-εσ-ια ortum est *εὐκλε-ε-ια et altera ε elisa, ut in ἀκλέα, δυςκλέα, κλέα pro *ἀκλεεα, δυςκλεεα, κλεεα, εὐκλε-ια, εὔκλεια. Non nego eadem ratione ἄδεια, ἔνδεια formata esse posse; sed cum hae voces e posteriore aetate demum tradita sint — non enim ante Thucydidem leguntur — et cum adjectiva, a quibus illa nomina derivata sunt, interdum non exstent — sic *σιτοδεής certe

non reperitur — putaverim Graecos in nominibus *ἄδεια, ἔκδεια* formandis analogiam nominum ab adjectivis in *ης* derivatorum secutos ea quasi ab adjectivis in *ης* non *εης* derivasse. Certe autem *εὐκλέεια, ἀδέεια* formae a grammaticis fictae sunt, nusquam enim leguntur.

A**θεϝ-ες* deductum est **θεϝ-εσ-ιον, θέειον* (cf. „Grd.“ [3] 243), qua voce poetae epici usi sunt; in dialecto attica ex *θέειον θεῖον* factum est, *ε*, ni fallor, elisa. Ab eodem **θεϝ-εσ-ιον, ϝ* cum compensatione elisa, derivatum est **θη-ε-ιον, θήιον* (*χ* 493), in quo *ηε* in *η* contractae sunt, ut in *θῆσθαι* pro *θήεσθαι, τιμῆντα* pro *τιμήεντα*. Eodem modo ac *θέειον* in *θεῖον* corripuerunt Attici *ἐλεεινός*, quod in homericis carminibus legitur, in *ἐλεινός*, sed servarunt *ἀλεεινός*; qua ex re apparet, eos *ἐλεεινός* in *ἐλεινός* mutasse, quo vitarent parem sonum trium illarum *ε*, in *ἀλεεινός* enim est quaedam vocalium varietas. Eadem de causa *ἀνελεήμων*, quod ab eadem stirpe deductum est atque *ἐλεινός*, etiamsi de radice hujus vocis adhuc nihil constat, in *ἀνελήμων* mutatur (cf. Anecd. Bekk. 400, 30; Lob. Path. El. I, 254).

In nominibus ab adjectivis in *-οος* derivatis ante suffixa, quae a vocali incipiunt, altera *ο* eliditur, ut jam vidimus, sic in *εὔνοια* pro **εὐνοϝο-ια, βοήθεια* pro **βοηθοϝο-ια, ἁπλοΐδες* pro **ἁπλοϝο-ίδες*; ante suffixa, quae a consona incipiunt, *οο* modo servantur, ut in homerico *ὀλοό-φρων*, ut in *ἀθροοποσία, ἀθροότης*[4]), quae e posteriore demum aetate exstant, ut in thessalico nomine *Ὀλοοσσών*, modo in *ο* corripiuntur, ut in *Ὀλοσσών* („Grdz.“ [3] 523), in nominibus cum *ἁπλόος, διπλόος* compositis: *ἁπλο-σύνη, ἁπλό-της* (Plat. Xen.), *ἁπλό-θριξ* (Aristot.), *ἁπλο-παθής, ἁπλο-πάθεια* (Sext. Emp.), *ἁπλο-σχήμων* (Strab.), *ἁπλό-τατον* (Anth. VI, 186), *διπλότατον, διπλό-θριξ, διπλο-καρδία*, quae non ante Platonem reperiuntur. Neque enim ea e stirpibus *ἁπλο, διπλο* de-

---

[4]) *ἀθρότης* suspectum est, cf. Steph. Thes. s. v. et Lob. Path. El. I, 300.

rivata sunt, quod Attici his brevibus stirpibus non usi sunt et *ἁπλο-ίδες* nulla alia ratione nisi ab **ἁπλοϝο-ιδες* deductum esse potest. In compositis *μελιχρώδης, χειμαρρώδής, αἱμορρώδης οω* in *ω* contractae sunt, quae plenior forma in *καταρροώδης, αἱμορροώδης* servata est (cf. Lob. Path. El. I, 319). Composita in *εος* modo servant *ε* modo ejiciunt, quod cognosci potest ex his exemplis: *χρυσεοκόμης χρυσοκόμης, χρυσεόμαλλος χρυσόμαλλος, χρυσεόνωτος χρυσόνωτος, χρυσότερος, ὀστεογενής, ὀστογενής* (cf. Lob. Path. El. I, 350), *ὀστεοκόπος ὀστοκόπος, ὀστολογία.*

§ 11. DORICA QUAEDAM.

Cum jam disputationem absolverimus de ea hyphaeresi, quae in universa lingua graeca et praecipue in attica dialecto reperiatur, videamus quae exempla ejusdem affectionis ex ceteris dialectis afferri possint et primum quidem e dialecto dorica.

Genetivus nominum femininorum in *ω* et *ως* in severiore doride terminationem *ως,* in mitiore *ους* habet (cf. Ahr. d. d. II, 238), sed exstat etiam correpta forma *Λατός* (cf. Ahr. l. c. 174) et *Κλεός* in Pind. fr. 299 (Bergk [3]) a Lobeckio (Path. El. I, 303) pro tradita lectione *Κελεός* restituta. In parte igitur quadam doricae dialecti *οος* non contrahitur, sed corripitur in *ος*; quod ita factum esse suspicamur, ut *ο* acuta debilitaretur, fieret vocalis ut ita dicam irrationalis, sic paullatim prorsus ejiceretur.

Eodem modo evanescit *ε* in paucis formis nominativi pluralis, qui plerumque in *εες* vel in *εις* exit (cf. Ahr. l. c. 237, G. Aug. Peter. d. dial. Pind. 39); has enim formas habes: *Πριανσιές* in cretico titulo 2556, 30 pro *Πριανσιέες,* quod legitur in ejusdem tituli l. 46; *ἱαρές* pro *ἱαρέες* in cyren. tit. no. 7, qui titulus Tiberi aetate scriptus est, *βιοπλανές* pro *βιοπλανέες,* quo Callimachus usus est (cf. Choerob. ed. Gaisf. 447, 10, Herod. ed. L. I, 422, 13, II, 278, 20). Raro igitur in hoc nominativo *ε* eliditur et gradatim eo

tempore evanescit, quo qualis lingua fuerit monumentis traditum est, id quod optime intellegitur ex formis illis in eodem titulo scriptis: *Πριανσιές* et *Πριανσιέες*. Tamen vulgo contendunt, etiam pronomina *ἁμές, ὑμές* ex **ἁμέες, *ὑμέες* correpta esse, cui sententiae assentiri non possum. Nam, ut jam exposui, haec hyphaeresis raro fit et in hac vel illa parte dialecti doricae; in *ἁμές, ὑμές* autem jam ab antiquissimo tempore et in omnibus partibus dialecti doricae *ε* elisa esse existimari debebat; nusquam enim pleniores formae **ἁμέες, *ὑμέες* leguntur. At dixerit quispiam pronomina facile majorem deminutionem pati quam alias voces! Attamen falso ponitur *ἁμές, ὑμές* correpta esse, cum etiam Aeoles brevioribus formis *ἄμμες, ὔμμες* utantur, in aeolica autem dialecto nunquam ullius vocis extrema syllaba corripiatur. Itaque Schleicheri sententiam, qui (Comp.[2] 653) etiam *ἄμμες, ὔμμες* correpta esse contendit, comprobare non possum. Accedit quod in dialecto ionica nulla alia forma nisi *ἡμεῖς, ὑμεῖς* reperitur; quo modo autem explicare vis, Iones semper priscam formam servasse, Aeoles autem, qui non magis correptionem syllabarum finalium amplectuntur quam Iones, semper eam deminuisse? Cur *σφεῖς*, quam veram formam doricam et aeolicam esse Apollonius de pron. 120 tradit, non in *σφές* corripitur? Tum non solum nominativus, sed etiam dativus et accusativus in dialectis ionica, dorica, aeolica prorsus diversi sunt. An persuasum habes etiam *ἁμέ, ὑμέ, ἄμμε, ὔμμε* ex **ἁμέ-ας, *ἀμμέ-ας* cet., *ἁμῖν* ex *ἁμῖν, ἄμμιν* vel *ἄμμι* ex *ἄμμῑν* correpta esse? Sed jam vides, nobis, si de his formis recte judicare cupimus, prius de origine et universa formatione pluralis numeri pronominis personalis agendum esse, et primum quidem inquiramus, quid viri docti de hac re disputaverint.

Bopp (Vgl. Gr.[3] II, 110) summo jure revocat *ἡμεῖς, ἄμμες, ἁμές* ad stirpem **asma*, *ὑμεῖς, ὔμμες, ὑμές* ad **jusma*. Ab his stirpibus deducit graecas formas triplici modo; putat enim:

1) α vel ε vocali abjecta et terminatione ες addita esse exorta ἄμμ-ες, ἁμ-ές, ὔμμ-ες, ὑμ-ές;

2) α in ι debilitatam esse in ἀμμέ-ων pro *ἀμμί-ων, in ἁμέ-ων pro ἁμί-ων cet.

3) ἡμᾶς ab *ἡμα-νς esse derivatum ut μέλας a μέλανς; ἄμμε, ἁμέ ex *ἀμμα-νς, ἁμα-νς cet. correpta esse. Sed potesne analogiam afferre, in qua pluralis numerus ejusdem vocis a triplici stirpe ut in ἄμμες ab ἀμμ, ἀμμέ-ων ab ἄμμι, ἄμμε ab ἄμμα derivatus sit? Tum ne singulae quidem stirpes defendi possunt: nam apocope vocalis ante terminationem non reperitur in ulla stirpe; deinde α nunquam in ι mutatur nisi prius in ε (cf. „Grdz.“ [3] 663 sqq.); quis autem credet, hanc seriem esse veram: *ἀμμα-ων, *ἀμμε-ων, *ἀμμι-ων, ἀμμέ-ων, quod in boeotica et cretica dialectis denuo in ἀμμί-ων, ἁμί-ων mutetur? Neque enim in boeot. ἀμμί-ων, in cretico ἁμίων antiquior forma servata est, cum etiam in aliis vocibus harum dialectorum ε in ι mutatam inveniamus (cf. Ahr. d. d. I, 178, Hey. d. dial. cret. 12). Denique ex *ἁμα-νς, in qua mire prisca α servata esset, aut ἡμέας aut ἁμέ nullo modo orta esse possunt.

Cum Boppio Schleicher (Comp. [2] 652) existimat *asma in asmi mutatum esse; ex *asmi autem, ι in αι aucta, ortum esse putat asmai, a quo derivatum sit asmaj-as, ἡμε-ες, ἡμεῖς, ἡμείων, ἡμέων cet. ut a πολι πολεj-ες, πόλεις. Sed jam vidimus α non in ι mutari, itaque ἡμεῖς ex asmaj-as ortum esse non potest, tum ἄμμες, ἁμές hoc modo non explicantur. Alio modo Schleicher accusativum explicat: „ἄμμε, ὔμμε, σφέ nach art des singulars gebildet wie ἐμέ, σέ, ἕ; vgl. ablat. dat. plur. im altindischen und altbaktrischen.“ Suspicatur igitur terminationem accusativi singularis cum asma stirpe conjunctam postea abjectam esse, ut in ἐμέ cet. Sed valde dubitandum est, num unquam ἐμέ ullam terminationem habuerit, quod longum est accuratius hoc loco explicare; sed afferre liceat boeoticum τίν, quod eodem modo ac skt. tvām, osk. siom, umbr. tiom formatum et revocandum est ad τ-ε-ν pro τ-ε-μ; potest autem exemplo esse τίν, etiam alias

formas cum terminatione praeter formas sine terminatione in usu fuisse. Jam igitur, cum neque Boppio neque Schleichero assentiri possimus, videamus num alio modo hae formae explicari possint.

Bopp („Vgl. Gr.“ II, 112 sqq.) exposuit, in lit. *mēs, jūs*, got. *veis*, *jus*, zend. *jûs s* litteram non esse terminationem nominativi pluralis, sed in his formis puram stirpem etiamsi correptam esse servatam; sic etiam ved. *asmé* (pro *asma-i*) pro omnibus fere casibus pluralis numeri usurpatum esse; tum, ut Schleicher (Comp.[2] 650) demonstravit, linguae indogermanicae sua quaeque ratione pluralem pronominis personalis formarunt, qua ex re satis elucet, pristina illa aetate formationem horum casuum nondum fuisse perfectam, sed stirpem puram suffecisse et ad nominativum et ad alios casus significandos. Ita etiam in lingua graeca ipsa stirps pro forma casuali posita est in accusativis ἁμέ, ὑμέ, ἄμμε, ὔμμε pro **asma*, **jusma* (cf. ἐμέ, σέ, ἕ), tum singulos casus alii alia ratione formarunt. Et duae quidem stirpes statuendae esse videntur, altera a qua formae ionicae, altera a qua formae doricae et aeolicae derivatae sunt. Et stirps, quae postea in Iade valebat, erat *asma-i*. Cum *asma* enim *i* conjuncta est ut in ved. *asmé* pro *asma-i*; eadem *i* vocalis in lingua sanscrita saepe usurpatur ad casus obliquos pronominum formandos, sic in *va-j-ám* (cf. Schleich. Comp.[2] 651), in *āvá-j-ôs*, *juvá-j-ôs* (ib. 656); *má-j-i*, *tvá-j-i; má-j-â*, *tvá-j-â* et in locativis slov. *na-j-u*, *va-j-u*. Eadem *i* reperitur in lingua graeca, sic in dor. ἐμε-ί, τε-ί pro ἐμέ, σέ, tum, ut Schleicher Comp.[2] 534 exposuit, in nominativo pluralis declinationis in *α* et *o*, e. g. in τοί pro *ta-j-as*, ταί pro *tâ-i-as*. Quae quamquam in conjectura posita sunt, tamen non audacius esse videtur cum Schleichero contendere, *i* vocalem ut in lingua sanscrita ita in lingua graeca usurpatam esse ad casus formandos. Cum **asma-i*, **jusma-i* igitur terminationes conjunctae sunt et haec quidem series est statuenda: **asma-j-as*, **ἡμεj-ες*, **ἡμε-ες*, ἡμεῖς; **ἡμεj-ων*, ἡμείων, quod quinquies in homericis

carminibus legitur et hoc modo optime explicatur, ἡμέ-ων; *ἡμεj-ας, ἡμέας. Dativus casus et ex *asma-i*, **asma-i-bhjam*, *ἡμε-ι-φιν, ἡμῖν — et ex *asma*, **asma-bhjam*, *ἡμε-φιν : *ἡμι-φιν = *σφέ-σι : σφίσι, ἡμῖν — derivatus esse potest; ex ἡμῖν, ῑ correpta, orta est forma enclitica ἡμιν.

Altera stirps, a qua formae doricae et aeolicae derivantur, est **asma*, **jusma*, quae, ut jam explicavimus, in ἁμέ, ὑμέ, ἄμμε, ὔμμε servata est. Ab hoc **asma* nominativus ductus est ς singularis nominativi terminatione addita. At quo modo fieri potuit, ut terminatio ullius casus numeri singularis in pluralis casibus formandis assumeretur? In pronomine **sma*, ut Bopp („Vgl. Gr.“ [3] II, 111) exposuit, jam pluralis quodammodo expressus erat; idem fere vult Schleicher, cum dicat (Comp. [2] 650): „Ob an dise idg. plural-stämme die gewönlichen casussuffixe des plurals, oder die der pronominalen declination, oder die des singulars antraten, letzteres indem der plural schon in der stambildung auss gedrückt lag, lässt sich wohl nicht entscheiden.“ Ad nominativum igitur significandum non solum ς sufficiebat, sed etiam ne exspectanda quidem est terminatio pluralis ες; tum in skt. *asmát, asmábhjam, jushmát, jushmábhjam* terminationes singularis numeri adhibitae sunt ad ablativum et dativum casus formandos. Ut autem in lingua sanscrita terminationes singularis cum pluralis alternant, ita etiam in lingua graeca nominativi pluralis terminatio est ς: ἁμέ-ς, ἄμμε-ς, genetivi ων: ἁμέ-ων, ἀμμέ-ων; nunquam enim ut in dialecto ionica reperiuntur *ἁμείων vel *ἀμμείων cet. Dativi ἁμῖν, ὑμῖν, ἄμμι(ν), ὔμμι(ν) ex *ἁμε-ιν cet. orti sunt, ε elisa ante ι, ut saepe fit in nominum formatione (cf. κράνῖνος pro κρανέϊνος, ὄστῖνος pro ὀστέϊνος cet.).

Pronominis tertiae personae stirps ι vocali aucta est in universa lingua graeca, nam et in dialecto ionica et in dial. dor. et aeol. habemus σφεῖς, σφείων (cf. Apollon. de pron. 120 C et 122 C), quae a *σφε-j-ες pro *sva-i-as cet. orta sunt; eadem ι etiam in accusativo σφεῖας ν 213 servata est. Non

mirum est, quod hujus quoque pronominis accusativus praeter *σφεῖας, σφέας* formas praebet, quae e sola stirpe constent; reperimus enim apud Aeoles *ἄσφε α* vocali praeposita, apud Dores et in homericis carminibus (*Λ* 111 et *ω* 439) *σφέ*.

In dativo *σφίν* pro **σφέ-ιν* *ε* elisa est ut in *ἁμίν, ἄμμιν*.

Eandem hyphaeresin quam in *ἁμίν, ἄμμιν* factam esse censemus in formis dativi sing.: *ἐμίν, τε-ίν, τίν, ἑ-ίν, ἵν*, quae eodem suffixo *bhjam* quo *ἁμίν* formatae sunt. *ἐμίν, τίν, ἵν* enim dorica sunt, *ἑίν* Apollon. de pron. 106 B ex Antimachi et Corinnae carminibus affert, *τεῖν* in homericis carminibus et in versibus ab Herodoto (V, 60 sq.) allatis reperitur et saepe a grammaticis doricum commemoratur (cf. Ahr. II, 252 Adn.). Ahrens quidem in dubium vocat, num *τεῖν* doricum sit, quod nunquam in purioribus Doridis fontibus legatur; potius grammaticos homericum *τεῖν* doricae terminationis causa pro dorico habuisse putat. Sed Apolloni testimonium jure in dubium vocari vix potest; tum quid mirum est, quod cum *τίν* e *τεῖν* deductum sit hoc et in dorica et in epica dialecto servatum sit? Sed legitur etiam ni fallor uno loco Pindari: Ut enim in *ἁμῖν, ὑμῖν* cet. *ι* semper brevis est, ita etiam in dorico *τίν* (cf. Ahr. II, 253 et Peter. d. dial. Pind. 50) excepto uno loco Pind. Isthm. VI, 4: *τίν ἄωτον δεξάμενοι στεφάνων*. Hic ut vitetur singularis illa productio vocalis *ι* a nonnullis contra codicum auctoritatem *τίν γ'* scribitur, alii ut Ahrens defendunt *τῖν*; videtur autem scribendum esse soluta arsi *τεῖν* illud a grammaticis pro dorico traditum, quod metro non repugnat. Ita Tychone Mommsenio teste jam Erasmus Schmid hunc locum constituit. Sic omnibus locis *ι* vocalem terminationis dat. *ιν* brevem habemus, simulque demonstratum est, cum Pindarus et *τεῖν* et *τῖν* uteretur, *τίν* e *τεῖν* non alio modo nisi *ε* vocalis elisione oriri potuisse. Neque obstat huic sententiae, quod Theocritus saepe *ἁμῖν, ὑμῖν* scripsit, nam is non pura dorica dialecto usus

est, sed potius hanc rationem e vulgari lingua ascivisse videtur (cf. Ahr. II, 260), tum Apollonius (de pron. 123 B et 124 B) testatur, Dores semper ἁμῖν, ὑμῖν pronuntiasse. Cum autem Theocritus ιν terminationem pluralis numeri modo producat, modo corripiat, non mirum est, quod idem etiam τίν producit, quod ea aetate Doriensibus non jam in usu fuisse videtur.

In omnibus adhuc allatis formis, in quibus hyphaeresis facta est, semper vocalis ante vocalem posita eliditur; post vocalem autem nunquam ulla vocalis ejicitur nisi post ι vel υ, qua de re in altero capite agemus. Nisi hac quasi lege Ahrensio assentiri non possumus, qui (d. d. II, 174) Φυκός e Φυκόες et (ib. 194) Σελινός e Σελινόες correpta esse existimat. Rectius Φυκός et Σελινός ad Φυκωνς et Σελινωνς videntur revocanda esse. Nam priscae formae horum nominum sunt *Φυκο-ϝεντ-ς, *Σελινο-ϝεντ-ς, e quibus derivantur *Φυκό-ενς, *Σελινο-ενς et οε in ω contractis, ut in ἀμπελωργικά pro ἀμπελο-εργικά, λωτήριον pro λοετήριον, πρώγγυος pro προέγγυος (cf. Meister Stud. IV, 394), *Φυκωνς, *Σελινωνς. Ante duplices autem consonas νς vel ντ saepissime vocales corripiuntur, ut in δήμοτᾰς pro δημότᾱνς (cf. Ahr. II, 172, Curt. Stud. III, 385), in ἴεν, τίθεν, δίδον, ἔφᾰν, ἔβᾰν cet. pro *ἴηντ, *τιθηντ, *διδωντ, *ἐφᾱντ, *ἐβᾱντ, in ἐτράφεν, μίγεν, κόσμηθεν cet. pro *ἐτραφηντ, *μιγηντ, *κοσμηθηντ (cf. Ahr. II, 317, Gerth. „Stud.“ I, 2, 257), sic etiam e *Φυκωνς, *Σελινωνς factum est *Φυκονς, *Σελινονς, tum Φυκός, Σελινός. Eodem modo Ὀλόντιοι (cf. Hey de dial. cret. 24) non ex Ὀλοέντιοι, sed ex Ὀλώντιοι, δαμιοργός ex δαμιωργός (cf. Allen „Stud.“ III, 238) correpta sunt. Eadem ex lege etiam elucet, Curtium („Stud.“ III, 383) recte aeol. οἴκεντος, ἔρρεντος, arcad. ἀδίκεντα, ξαμίοντες cet. ad *οἴκηντος, *ἔρρηντος cet. revocasse, nam ab οἰκέοντος nullo modo derivari potest οἴκεντος. Tum in creticis formis κρατόντες, φιλόντι cet. pro κρατέοντες, φιλέοντι ε vocalis, etiamsi in his formis prior vocalis est, non est elisa, sed ο est correpta ex ω, quod accuratissime demonstrari potest.

Jam enim Ahrens (d. d. II, 212, cf. Hey d. dial. cret. 24) intellexit in creticis formis verborum in *εω εο* in *ω* contrahi, ubi syllaba vocali clauderetur, ut in *ὠνω-μένος*, in *ο* autem mutari, ubi syllaba in consonam desineret, ut in *κοσμόντες*. Et in eodem quidem titulo (C. I. 2556) habemus *ὠνωμένους* et *κρατόντες*, *πωλόντας*, *κοσμόντας*, (C. I. 2557) *εὐχαριστῶμες* et *συντελόντας*. Ubique igitur *εο* in *ω* contrahi censendum est, quod servatur ubi vocalis syllabam claudit (*ὠνω-μένους*, *εὐχαριστῶ-μες*), ante *ντ* autem corripitur in *ο*, ut in *κρατόντες* pro *κρατωντες* cet. Fortasse eodem modo formae heraclienses *κοψόντι*, *ἐπιμελησόνται* cet. ex **κοψωντι*, **ἐπιμελησωνται* ortae sunt, in quibus Meister („Stud.“ IV, 430) *ι* vel *j* evanuisse putat.

Creticae formae autem *τελέται* (cf. Ahr. II, 202) et *συντελέσθαι* (cf. Hey l. c. 23), cum in aliis formis doricis *εε* semper in *η* vel *ει* contrahatur, cum Ahrensio non ad verbum *τελέομαι*, sed ad *τέλομαι* revocandae sunt; compares *μάχομαι* et *μαχέομαι* (cf. „Grdz.“ [3] 305).

Agendum nunc est de infinitivo praes. et aor. activi.

Infinitivus praes. act. verborum in *ω* triplicem terminationem habet in variis dialectis doricis (cf. Ahr. II, 303): *ην*, *εν*, *ειν*; et *εν* quidem apud Italiotas, Cretenses (cf. Hey l. c. 23), antiquiores Delphos, Theraeos et in verbis in *ω* et in verbis contractis (cf. Ahr. II, 177) in usu erat. Vulgo *ην* et *ειν* ex *εεν* contracta, *εν* ex *εεν* alterius *ε* elisione ortum esse existimantur. Sed quomodo fieri potuit ut, si antiquior forma terminationis erat *εεν*, ne ullum quidem exemplum plenioris formae servaretur, quamquam pro *Πριανσιές*, quocum semper *φορέν* cet. comparatur, *Πριανσιέες* in eodem titulo legitur et haud paucae infinitivi formae in inscriptionibus reperiuntur? Tum quis est qui analogiam afferat, in qua duae vocales media in voce elisae sint, ut in *ποιέν* pro **ποιέεεν*? Videntur potius hae formae alio modo ortae esse. Ut enim et *αντι* et *ντι*, modo *α(ν)ται*, *α(ν)το*, modo *νται*, *ντο* usurpantur ad tertiam personam pluralis numeri significandam, sic non mirum est, quod etiam

in infinitivo duae terminationes *εναι* et *ναι* — *μεναι* enim non pertinet ad hanc quaestionem — exstent, quae, quamquam eas ex eadem prisca forma fluxisse non nego, tamen in usu sunt, quasi diversae terminationes sint, ut *αντι* et *ντι*. Habes enim *εναι* in *θεῖναι* pro **θε-εναι*, *δοῦναι* pro **δο-εναι*, *ναι* in *τιθέ-ναι*, *διδό-ναι*; nullo modo autem dici potest, *τιθέναι* esse correptum ex *τιθε-εναι*, *διδόναι* ex *διδο-εναι*. Tum in arcadicis formis (cf. Gelbke „Stud." II, 26) *ἰμφαίνεν*, *ἐπηρειάζεν*, *ὑπάρχεν*, in boeot. *δικάσδεν ν*, quod ex *ναι* correptum esse inter omnes constat (cf. Curt. de nom. gr. form. 55 sq., Schleich. Comp.[2] 426), stirpibus adjungitur, in lesb. aeol. dial. autem semper *εναι* vel *εν*. Neque enim in illis infinitivis dicere potes *εν* esse correptum ex *εεν*, cum nullum aliud exemplum ejusdem hyphaeresis aut in dial. arcad. aut boeot. aut omnino in dialecto aeolica reperiatur. Quibus omnibus ex causis apparet, in infinitivis illis doricis et praesentis et aoristi terminationem non esse *εν* sed *ν*; de hyphaeresi igitur in infinitivo verborum in *ω* cogitari non potest; haec sola statuenda est in verbis contractis *ἀνχωρέν*, *ἐπιχωρέν* pro **ἀγχωρεεν*, **ἐπιχωρεεν* cet. (cf. Ahr. II, 177, Hey l. c. 23).

ἱαρές pro *ἱαρέας* Ahrens (II, 174) ex tit. cyren. no. 1 affert, quae forma sine dubio errori lapicidae tribuenda est.

§ 12. IONICA QUAEDAM.

Quamquam Iones solutas formas quae dicuntur magnopere adamasse existimantur, tamen eos interdum concursum complurium vocalium et in recenti et in epica dialecto vitasse negari non potest. Primum enim in genetivo nominum in *α* terminationem *ω* pro *εω* reperimus in his formis: *Αἰνείω* *E* 534, *Ἀσίω* *B* 461, *βορέω* *Ψ* 692, *Ξ* 395, *ξ* 533, *Ἑρμείω* *E* 534, *O* 214, *εὐμμελίω* *Δ* 47, 165, *Z* 449; his homericis formis addimus herodoteas (cf. Bredow de dial. Herod. 218): *Αἰσχρέω* Hdt. VIII, 11 (Stein in ed. crit. scribit *Αἰσχραίου*), *Ἀνδρέω*, *Ἀριστέω*, *βορέω*, *Πυθέω*, *Ἑρμέω*.

Accedunt formae, quas Erman („Stud.“ V, 294 sq.) e titulis affert: *Παναμύω, Πακτύω, Πακτίω*, et *Ἀριστέω* in tit. thas. (cf. „Journal des Savants, Janv. 1872“ p. 53).

Jam a veteribus grammaticis disputatur, utrum formae homericae in *ω* ex *εω* *ε* vocali elisa ortae sint, quod Eustathius ad *Ξ* 994 vult: *τὸ δὲ Βορέω Ἰωνικόν ἐστι, συγκοπὲν ἐκ τοῦ Βορέεω καθάπερ καὶ τὸ Ἑρμείω*, an ex *αο* contractae, ut Herodianus (ed. L. II, 317, 32) suadet: *βόα: βῶ ὡς Βορέαο Βορέω.* Similiter recentium grammaticorum opiniones inter se differunt. Leo Meyer enim („Vgl. Gramm.“ I, 291, 308) *ω* ex *αο* contractam esse censet et omnibus locis pro *εω* scribi vult *ω*, quod his verbis defendit: „Es ist nicht wohl abzusehen, warum hier z. B. *Πηληϊάδεω* mit Synizese gesprochen werden soll, das ganz ebenso gebildete *Ἑρμείω* aber nicht, wofür nur grammatische Spitzfindigkeit in dem dem *ω* vorangehenden Vocal einen Grund hat finden können.“ Sed hanc non esse subtilitatem grammaticam, sed justam observationem demonstratur exemplis jam e titulis allatis. Etiam Delbrück („Stud.“ II, 199) formas epicas in *ω* ex *αο* contractas esse putat, quae sententia a Brugmano („Stud.“ IV, 140, cf. p. 185) ita refutata esse mihi videtur, ut totam rem denuo exponere mihi non opus sit. Cum Brugmano igitur censeo genetivos homericos in *ω* ex *εω* ortos esse. Quid? Estne mirum, quod, cum in dialecto neo-ionica *εω* terminatio vocali antecedente in *ω* mutetur, jam poetarum epicorum aetate eadem lex valuit? — Sed videamus accuratius, quomodo res se habeat in dialecto neo-ionica: in hac dialecto enim genetivus nominum in *α* exit in *εω*; hujus terminationis *ε* elidi apud Herodotum, ubi *εω* jam altera *ε* antecederet, servari autem post alias vocales Bredow (l. c. 218) exposuit. Rectius Renner („Stud.“ I, 1, 203 sq.) formis e titulis jam allatis nisus demonstravit, hunc usum amplius progressum esse quam Bredow statuisset (cf. Erman Stud. V, 295). Et revera, cum jam in homericis carminibus et in inscriptionibus neo-ionicis *εω* post alias vocales in *ω* mutetur, cum in ipsa dialecto herodotea *εω*

post ε vocalem in ω corripi a Bredovio demonstratum sit, dubitari vix potest, quin in universa dialecto neo-ionica εω post cujusque generis vocales in ω corripiatur. Librarios enim pro ionico habuisse ubique quam plurimas vocales injicere, jam inter omnes constat; eorum errori igitur semper εω pro ω debetur, ut e. g. in Ἀσίεω Hdt. IV, 45 pro Ἀσίω, quod jam in homericis carminibus legimus, ut in Πακτύεω (I, 158) pro Πακτύω in tit. Myl. servato.

Eandem hyphaeresin in genetivo pluralis numeri nominum in α factam esse videmus; hae enim formae exstant (cf. Bred. l. c. 219): αἰγέων pro αἰγεέων, γέων pro γεέων, Ἡρακλέων pro Ἡρακλεέων, θηλέων pro θηλεέων, Μαλέων pro Μαλεέων, χρυσέων pro χρυσεέων, μνέων pro μνεέων, συκέων pro συκεέων. Omnibus locis Stein in ed. crit. scribit εων, quod solum rectum esse Bredow demonstravit, sic quinquies Ἡρακλέων, sexies θηλέων, tamen uno loco (I, 82) pro Μαλέων ex codicum mala auctoritate Μαλεέων recepit; scribit recte ἀδελφεῶν (III, 31, V, 80), sed γενεέων (II, 142, VI, 98), quae inconstantia, jam a Bredovio summo jure repulsa, nullo modo ferri potest. — Ceterum non solum post ε, sed etiam post alias vocales εων in ων mutatum esse, ut in genetivo singularis, mihi quidem verisimillimum est, quamquam in titulis exemplum non exstat et codices semper fere εων servant (cf. Bred. l. c. 218). Tamen ex analogia hoc concludi debet, praesertim cum eandem affectionem apud Hippocratem inveniamus. Flor. Lobeck enim in Philol. VIII, 33 exposuit, apud Hippocratem horum nominum genetivum non in εων, sed in ων exire, velut e. g. in ἐλαιῶν pro ἐλαιέων, quod fortasse in ἐλαίων mutandum est. Denique addendum est illis nominibus ἀργαλέων (Mimn. 6, 1, Bergk[3]) pro ἀργαλεέων (cf. Renner „Stud.“ I, 1, 203).

Omnibus igitur in his formis ε ante ων posita est elisa, nam e formis εὐμελίω cet. elucet, non priorem ε esse ejectam et e genetivis pluralis talibus qualis est ἀργαλέων ε non esse contractam cum ων. ε igitur, quamquam in genetivo pluralis accentum habet, primum synizesi cum

ω conjunctum, tum post alias vocales prorsus ejectum est.

Neque aliter eadem vocalis elisa est in formis, quae e declinatione verborum afferuntur. In homericis carminibus enim exstant hae formae (cf. Kühner gr. gr. p. 604 Adn. 3): *μυθέαι β* 202 pro *μυθέεαι*, *πωλέ' δ* 811 pro *πωλέεαι*[5]), *ἐκλέ' Ω* 202 pro *ἐκλέεο*, *ἀποαίρεο Α* 275, quamquam *ε* in aliis, ut *μυθεῖαι ϑ* 180, cum antecedente *ε* in *ει* contracta est. Ex eo autem, quod in *πωλέ'*, *ἐκλέ'* non solum *ε* sed etiam *αι* vel *ο* ejecta est, apparet, hyphaeresin *ε* vocalis jam ea aetate inveterasse, qua poetae epici his formis usi sunt; nunquam enim duas vocales ejicere potuerunt. Itaque exspectandum est, in dialecto herodotea hanc hyphaeresin in omnibus ejusmodi formis perfectam esse; et revera *εε* semper in secunda persona imperfecti et imperativi medii in *ε* correptae sunt. Formae quas Bredow (l. c. 375) affert sunt hae: *αἰτέο, ἀκέο, ἀναιρέο, ἀπικνέο, ἐδέο, ἐξηγέο, λυπέο, ποιέο, φοβέο, χρέο*; omnibus locis etiam Stein in editione critica eandem formam sive cum codicum auctoritate sive contra eam praebet, uno *ἐδέο* VII, 161 excepto, pro quo *ἐδέου* cum codicibus scribit, sed parum recte. Nam cum tot locis correpta forma tradita sit, non video, cur putemus, in solo *ἐδέο ε* non esse elisam? Tum in dialecto neo-ionica *εο* nunquam in *ου*, sed semper in *ευ* contrahuntur (cf. Renner „Stud.“ I, 1, 180, Erman ib. V, 292 sqq.), itaque Stein *ἐδέευ* scriberet necesse erat, quamquam ne hoc quidem, ut jam exposui, ferri potest.

Eadem hyphaeresis etiam apud poetas sive ionicos sive alios interdum reperitur (cf. Lob. Path. El. I, 273): *αἰδέο* Theogn. 1331, *ἡγέο* in Choerili versu apud Aristot. rhet. III, 14, p. 1414, 16 et Anth. IX, 403, XII, 119, *μίμεο* Simon. C. fr. 29 (Bergk[3]), *ὑφάγεο* Theocr. II, 101, *ἀνακοινέο* Theogn. 73 (Bergk[3] *ἀνακοινεῦ*), quod non ab *ἀνα-*

---

[5]) Lobeck Path. El. I, 272 *πωλέ'* pro *πωλέεαι*, non pro *ἐπωλέεο* scriptum esse demonstravit.

κοινόεο, sed ab ἀνακοινέεο deductum esse videtur. Contra λέξο κ 320 cum Lobeckio non ad λέξεο Ι 617 pro *λεξε-σο (cf. ἐλεξάμην Ι 666), sed ad *λεκ-σο (cf. λέκ-το δ 451), ὄρσ' Δ 204 non ad *ὄρσεο pro *ὀρσε-σο (cf. ὦρσε), sed ad ὄρ-σο (cf. ὦρ-το, ὄρ-μενος Ε 590) revocanda sunt.

Jam quaeramus, utrum etiam in aliis formis verborum, quae vulgo contracta nominantur, vocalium concursus eodem modo vitetur, necne. Et huc quidem spectat secunda persona praesentis et futuri medii, hae enim formae exstant (cf. Bred. l. c. 375): ἀποθανέεαι, ἀπολαμπρυνέεαι, διαιρέεαι, ἐπαινέεαι, εὐφρανέεαι, προθυμέεαι, φοβέεαι; sic quidem scribi volunt Bredow l. c. et Stein in edit. critica. Perscrutemur igitur, quid viros illos doctos commoverit, ut ita scriberent. Bredow (l. c. 218) legem quandam sibi construxit, quam optime ex ipsius verbis perspicies: „E lege quadam, inquit, etiam ultra declinationes patente, nunquam duo εε ante ω vel ο collocari licet; . . . sed valde animadvertendum cavendumque est, ne forte haec regula etiam ad alias vocales aut diphthongos transferatur; si enim aliae litterae quam duo εε antecesserunt, aut aliae quam ω vel ο secuntur, nihil illa valet.“ Hanc legem secutus p. 375 de formis jam allatis haec judicat: „φοβέαι et id genus alia, cum non ο vocalis, sed diphthongus αι sit secuta, pro falsis corruptisque habenda et epicis poetis potius relinquenda sunt.“ Facile intelleges quae sit illa lex. Bredow enim enumerat semper omnes formas, quae in codicibus varie scribuntur — quaenam autem non varie scribuntur in codicibus Herodoti? — tum judicium facit, eam formam quae saepius legitur solam rectam esse. Ex hac ratione rejicit φοβέαι al. Sed causam afferre poteris, qua εεο in εο corripiantur, εεαι autem serventur? Estne vocalis ο quae εε ante se non patiatur et alteram ε ejiciat? Estne difficilius dictu εεο quam εεαι? Sine dubio illa ratione Bredow multum profecit et primus accuratius nos docuit, quae esset dialectus herodotea; sed ratione non habita originis formarum vel verae naturae linguarum, saepe eum

errare necesse erat, ut in his formis explicandis erravit. Jam antea intelleximus etiam in *ἐνδέα, καταδέα, ἀκλέα εε* ante *α* in *ε* corripi; prorsus igitur illa lex Bredovi videtur esse neganda et rejicienda.

Alio modo Stein in praef. ed. crit. p. XXXIII *φοβέεαι* cet. defendit. Illo enim praefationis loco Stein de codice Parisino verba facit et exponit quidem, codicem P. habere quaedam sibi propria, *pauca* illa quidem, sed memorabilia, nec fere laudis expertia. „Nam, pergit, praeterquam quod in orthographicis aliquanto est ceteris purgatior, quaedam ad dialectum maxime pertinentia unus recte aut certe constanter scripta exhibet.“ Ut hoc demonstret, primo loco formas illas affert, deinde haec profert: „cum et codicum nonnusquam fide ac consensu (*A* 39 *φοβέεαι*, *H* 50 *διαιρέεαι*, 161 *δέεαι*) et ipsa ratione (sic!) constet nec contraxisse Herodotum nec imminuisse verborum formas in *εεαι* a primo exeuntes, hic unus (P.) retinet vel potius redintegrat plenam terminationem in Archetypo altera *ε* fraudatam *A* 206 *προθυμέεαι* cet.“ Duo igitur argumenta Steinium movent, ut statuat, *φοβέεαι*, *προθυμέεαι* cet. esse veras formas: prima est, quod codices nonnusquam consentiunt. Sed qui est ille codicum consensus, cum tribus tantum locis eandem lectionem exhibeant, septem autem (omisit Stein *ἀπολαμπρυνέαι* *A* 41) inter se discrepent? Altera est „ipsa ratio.“ Quaenam tandem ratio? Equidem eam intellegere prorsus non possum. Tum cod. Parisinus ne in his quidem formis sibi constat, cum *A* 41 *ἀπολαμπρυνέαι* cum ceteris codicibus praebeat. Vereor igitur, ut a Steinio bene hoc exemplum electum sit, quo codicem Parisinum ceteris purgatiorem demonstraret. Nam, ut jam supra explicavi, nulla causa perspici potest, qua Iones *εεο* in *εο* corripuerint, *εεαι* autem retinuerint. Tum jam in homericis carminibus *εεαι* in *εαι* corripi coeptum est (cf. *μυθέαι*, *πωλέ᾽*), quae hyphaeresis in dialecto neo-ionica in omnibus formis esse perfecta videtur; atque *εεο* interdum in homericis carminibus, semper in dialecto neo-ionica in *εο* correptum esse jam supra de-

monstratum est. Itaque cum codd. Florentinis (A et C) et Angelicano (B) vel Archetypo, ut Stein dicit, *ἀποθανέαι, προθυμέαι, φοβέαι* cet. scribendum esse censeo.

In formis adhuc e dialecto ionica allatis semper e tribus vocalibus altera elisa est, sed exstant etiam formae in homericis carminibus, in quibus duarum vocalium altera elisa esse videtur; et primum quidem videamus, quae formae e verborum declinatione afferantur. Haec enim iterativa exstant (cf. Kühner gr. gr.[2] 549 f.): *ἀγίνεσκον ρ* 294, *καλέσκετο O* 338, *μυθέσκοντο Σ* 289, *οἴχνεσκε E* 790, *O* 640, *πωλέσκετο A* 490, *E* 788, *λ* 240 pro *ἀγινέεσκον, καλεέσκετο* cet. Ex Hesiodi carminibus Förstemann (de Hes. dial. p. 34) affert unum *ῥοίζεσκε* th. 835, pro quo in nonnullis codicibus *ῥοίζασκε* scriptum est. Eandem hyphaeresin in dialecto herodotea factam esse et Bredow (l. c. 285) et Stein (praef. LXIX) negant, quibus assentiri non dubitamus, cum viderimus Ionas ternis quidem vocalibus conjunctis offendi, binas autem semper pati. — Tum legimus (*υ* 213) infinitivum *ἀγινέμεναι*, qua in forma alteram *ε* elisam esse contendunt. Sed dubitare possumus, num *ἀγινέμεναι* ex **ἀγινεεμεναι* ortum sit, cum praeter verbum *ἀγινέω* etiam *ἀγίνω* in usu esse potuerit; et revera hoc modo *ῑ* producta vocis *ἀγινέμεναι* optime explicatur. Deinde in *δῆσεν Σ* 100 *ἐμεῖο δ' ἔδησεν ἀρῆς ἀλκτῆρα γενέσθαι* a rad. *δε-* derivato *ε* esse elisam contendunt, sed videamus, num etiam similes formae ejusdem verbi exstent: invenimus autem *δῆσθε* pro *δέησθε* Sophronis fr. 1 (ed. Ahrens); *δῇ* pro *δέῃ* Aristoph. Ran. 265, Plut. 216; Menandr. fr. 28; in tit. Corcyr. (C. I. 1845, 138) al. Quae formae, quamquam alii alio modo scribi volunt, velut Grashoff *Σ* 100 *ἐμεῦ ἐδέησεν* pro *ἐμεῖο δὲ δῆσεν* vel *δ' ἔδησεν* (Bekk.), Kock ad Ar. Ran. 265 *δέῃ*, quod synizesi monosyllabum factum esset, tamen rectius cum Bekkero, Lobeckio (Path. El. I, 243), Meinekio servantur. Sed quaerendum est, utrum *ε* in his formis ejecta sit, an cum *η* contracta: De voce *δῆσεν* E. M. 138, 8 haec habet: *ἀντὶ τοῦ ἐδέησε κατὰ*

συγκοπήν, quod Lobeck (l. c.) laudat; in *δῆσθε* autem et *δῇ* crasin factam esse putat, ut in *ἐγχῇς* pro *ἐγχέῃς*. Equidem intellegere non possum, quid intersit inter *δῆσθε* pro *δέησθε* vel *δῇ* pro *δέῃ* et *δῆσεν* pro *δέησεν*. Jure omnes viri docti judicarunt *δέῃ* esse contractum in *δῇ*, ut *ποιέῃς* in *ποιῇς*, *ποιέητον* in *ποιῆτον*, *ἐγχέῃς* in *ἐγχῇς*, itaque censeamus necesse est, etiam *δῆσεν* esse contractum ex *δέησεν*, praesertim cum jam antea viderimus, *ε* cum *η* facile in unam longam vocalem confluere.

E pronominibus afferenda sunt *ἧμας π* 372, *σφᾶς E* 567, *σφὰς γάρ β* 237 pro *ἡμέας* et *σφέας*; quae imitatus est Oppianus Hal. II, 231, Cyn. I, 471 (cf. Lehrs quaest. ep. 306); *ε* igitur in his formis encliticis ejecta est ut in *ἐμός* cet.

Restat ut de homerico *νηγάτεος* agamus, in quo *ε* ante *η* elisam esse contendunt. Jam Buttmann (lexilog. I, 203) intellexit *νη-γάτεος* pro *νεή-γατος* usurpatum esse et eodem modo formatum quo *νεη-γενής*; sed quod addidit, *ε* esse transpositam, ita ut pro *νεηγατος νηγάτεος* scriberetur, hoc prorsus negandum est. Potius *νη-γάτεος* a **νεη-γα-τεο-ς* derivatum est, ut Curtius in scholis suis exposuit: nam etiam aliis in vocibus forma similem in modum amplificata cum breviore alternat, ut *λοχεός* et *λόχος* (Hes. th. 178), *βρότος* et *βρότεος τ* 545, Hes. opp. 416, *ὕστατος* et *ὑστάτιος*, *λοῖσθος* et *λοίσθιος* (cf. „Grdz.“ [3] 626). *Νεη-* autem in *νη-* mutatum est, sed *ε* esse elisam vix dici potest, cum jam saepe intellexerimus (cf. *θεουδής*, *δῆσεν*), *ε* cum *η* facile in unam longam vocalem confluere, quod in hac quoque voce esse factum videtur. Ejusdem stirpis *νε-ο ε* videtur evanuisse in *ν-οσσός* pro *νεοσσός*, sed addubitatur a Lobeckio ad Phryn. 206.

§ 13. VARIA QUAEDAM.

In participiis verborum, quorum stirpes in vocalem exeunt, ab Atticis vocalis stirpis semper ante terminationem ejicitur. Sic habes (cf. Curt. „gr. Schulgr.“ § 317) hom.

βεβα-ώς, ion. βεβε-ώς (cf. Bred. 398), att. βεβώς, γεγα-ώς, γεγε-ώς, γεγ-ώς, ἑστα-ώς, ἑστε-ώς, ἑστ-ώς, τεθνε-ώς. τεθν-ώς; ε autem in his formis non esse contractam, sed elisam vel ut rectius dicam evanuisse, demonstratur neutro ἑστ-ός pro ἑστε-ός cet. (cf. Kühner, gr. gr. 564).

ἐννέα, ἔνατος; in nomine numerali ἔνατος ε esse ejectam et ἐννέα voce et linguis cognatis (cf. skt. *náva*n, lat. *novem*) comprobatur.

καιροσέων ῃ 107 ex καιροεσσέων ε elisa ortum esse contendunt. Quod nullo modo fieri potest, cum secunda vocalis nunquam elidatur nisi post ι vel υ, praeterea origo hujus vocis prorsus ignota est.

κρωδαίτης· ὁ δαιτρός (Hes.) a M. Schmidtio vix recte in dubium vocatur; nam quamquam in Poll. VI, 34 et VII, 25 κρεωδαίτης legitur, tamen in aliqua dialecto κρωδαίτης (cf. ἑστώς, βορέω) pro κρεωδαίτης exstare potuit, quod Hesychius invenit et nobis tradidit.

κτάτεσι· κτήμασι Hes. aperte pro κτεάτεσι (cf. Lob. Path. El. I, 244).

Caput II.

DE VOCALIBUS POST VOCALES EJECTIS.

Jam cum enumeraverimus eas formas, in quibus vocalis ante vocalem excidit, sequitur ut eam hyphaeresin paucis absolvamus, quae post aliam vocalem fit. Quae hyphaeresis nunquam nisi post ι vel υ vocales fit. Jam antea haec lex nos docuit, in nonnullis formis (cf. Φυκός cet.) non elisam esse ullam vocalem, sed eas alio modo exortas esse; et revera nescio, qua forma demonstrare possis, hanc legem non esse justam. At in ἤ pro ἠέ, ἦ pro ἦε ε elisa est! Sed qua de causa? Estne etiam in τιμῆντα pro τιμήεντα ε ejecta? — Quo modo id fieri potest? Nam cum jam saepe ex-

plicaverimus et recte ni fallor, hyphaeresin paullatim fieri, non video quo alio modo post longam η ε evanescere possit, nisi cum η in unam longam vocalem confluat, i. e. cum η contrahatur. Ut igitur λᾶας in λᾶς, ἥρωα in ἥρω, ἀεργός in ἀργός, sic ἦε in ἦ, ἠέ in ἤ, τιμήεντα in τιμῆντα (cf. Buttm. gr. gr. § 41 Adn. 15) contrahi censendum est. Neque aliter λα- ex λαο- ortum est in Λαδικεύς, Λακράτης, λατόμος pro Λαοδικεύς, Λαοκράτης, λαοτόμος, in quibus ο ejectam esse Lobeck Path. El. I, 304 non recte suspicatur.

Ipsis in formis enumerandis, ubi vocales post ι vel rarius post υ elisae sunt, opus esse videtur, totam materiam in duas partes dividere et primum quidem de hyphaeresi vocalis ο, tum de vocalis α agere. Sed priusquam mediam in rem veniamus, etiam monendum est, me non id agere, ut omnes formas enumerem, sed eas tantum, quibus facile intellegas, quae sit natura hujus hyphaeresis.

§ 14. DE HYPHAERESI VOCALIS ο.

Graeci non amasse videntur ι vocalem inter vocales pronuntiare, itaque modo ipsam illam ejiciunt, modo eam vocalem quae sequitur. Composita enim in confinio verborum non solum ο ejiciunt, si posterior vox a vocali incipit (cf. § 9), sed ne ante consonas quidem eam servant, si ο vocali diphthongus in ι vel simplex vocalis ι antecedit, quod ex his exemplis intelleges: Ἀξί-θεος pro *Ἀξιό-θεος (cf. Lob. Path. El. I, 305; Benseler „Wörterb. d. gr. Eigenn.“ hoc nomen non praebet), Ἀσκληπι-γένεια pro *Ἀσκληπιο-γένεια (cf. Ἀσκληπιόδοτος, Ἀσκληπιόδωρος), δεξιτερός hom. pro *δεξιότερος, Δηϊ-φοβος, Δηϊ-λοχος, Δηϊ-φονος, quae cum stirpe adjectivi δήϊος composita sunt (cf. „Grdz.“ [3] 472), ἐρι-πόλοι lanificae, quo Simonides usus est pro ἐριο-πόλοι (cf. Lob. Path. El. I, 304, Herod. ed. L. II, 251, 10), ζεί-δωρος pro ζειό-δωρος, quod Lobeck (l. c.) non recte ex ζεό-δωρος contractum esse censet. Sed cave ne δικτυ-βόλος, δακρύ-ρροος cet. ex *δικτυο-βολος, *δακρυο-ρροος

orta esse putes, quae potius cum stirpe *δικτυ*, *δακρυ* composita sunt (cf. G. Meyer Stud. V, 89). — Deinde *ο* elidi videtur in *ταλαί-πωρος* pro **ταλαιό-πωρος*, *μιαί-φονος* pro *μιαιό-φονος*, *Ἀλθαι-μένης* pro *Ἀλθαιο-μένης* (cf. Curt. Stud. III, 192), quae Clemm de compos. 10 alio modo explicat; neque servatur *ο* in patronymicis a nominibus in *ιος* derivatis (cf. Angerm. Stud. I, 37), ut *Ἐρεχθονί-δαι* ab *Ἐρεχθόνιος*, *Κλυτίδης* a *Κλυτίος* cet.

Tum *ο* modo ejicitur modo servatur in comparativis et superlativis (cf. Kühn. gr. gr. 431): *γεραί-τερος*, *γεραιό-τερος*, *παλαί-τερος*, *παλαιό-τερος*, *σχολαί-τερος*, *σχολαιό-τερος* cet.[6]). His addenda sunt ni fallor comparativa et superlativa, in quibus *αι* pro *ο* positum esse vulgo contendunt, ut *ἡσυχαί-τερος* ab *ἥσυχος*, *μεσαί-τατος* a *μέσος*, *ἀσμεναί-τατα*, *εὐδιαί-τερος*, *ἰδιαί-τερος*, *ἰσαί-τερος* cet. (cf. Kühn. l. c.), quae ab adjectivis in *αιο-ς* videntur esse derivata *ο* vocali ut in *γεραίτερος* elisa.[7])

Jam igitur quaeramus, quo modo *ο* in his compositis ejiciatur; utrum haec vocalis paullatim evanescat, an in compositis formandis jam ab initio elisa sit, ut in compositis, quorum altera pars a vocali incipit? In homericis carminibus legimus semper *γεραί-τερος*, *παλαί-τερος*, in dialecto attica modo *γεραί-τερος*, modo *γεραιό-τερος*; formae igitur *ο* vocali carentes sunt priscae, eae autem quae *ο* retineant recentes, qua ex re concludi non potest. *ο* ab Homero metri

---

[6]) Non recte Hartel („Zeitschr. f. österr. Gymn." 1871, p. 606) *γεραί-τερος*, *σχολαί-τερος* cet. ad puras stirpes *γεραι*, *σχολαι* revocat, nam quae sint stirpes in *αι* intellegi non potest. Eodem loco *ἀσμενέστατα*, *ἐρρωμενέστερος* cet. e puris stirpibus *ἀσμεν*, *ἐρρωμεν* cum *-εστερος* composita esse censet, quae potius ab adjectivis in *ες* *ἀσμεν-ες*, *ἐρρωμεν-ες* derivata sunt.

[7]) Hartel quidem haec comparativa et superlativa cum locativis casibus composita esse censet, qui locativi in *ὁδοιπόρος*, *Πυλοιγενής*, *Θηβαι-γενής* cet. exstent; sed aliud est locativos casus in compositis vel puros ut in aeol. *μέσσυι* cet. servari, aliud a locativis alia nomina derivare, quod nullo modo fieri potest.

causa esse elisam, posteriore aetate autem restitutam. Potius *ο* ab initio elisa esse videtur, ut major concursus vocalium vitetur, ut in compositis illis jam allatis, e. g. *δημ-αγωγός* pro *δημο-αγωγός*. Posteriore aetate nonnulli auctores rectius comparativum *γεραιό-τερος* ab adjectivo *γεραιό-ς* servata *ο* formare censuerunt, analogiam ceterorum comparativorum, quae ab adjectivis in *ο* derivata sunt, secuti. Sic optime demonstratur, quare nunquam **ἡσυχαιότερος* scriptum sit; nam cum adjectivum **ἡσυχαιος* jam diu periisset, **ἡσυχαιοτερος* scribi non potuit, sed servata est prisca forma.

Item in ceteris supra allatis *ο* ab initio elisa esse videtur, quamquam post simplicem *ι* vocalem haec hyphaeresis non semper facta est (cf. *Ἀσκληπιγένεια*, sed *Ἀσκληπιόδοτος*).

Jam veniamus ad *nomina simplicia*, in quibus *ο* post *ι* vel *υ* elisa est, et primum agamus de nominibus propriis in *ιος* et *ιον*, quae in *ις* et *ιν* corripiuntur, ut e. g. *Διονύσιος*, *Ἐλευθέριον* in *Διονῦσις* et *Ἐλευθέριν*. Hanc totam rem accuratissime tractavit Benseler in Stud. III, 169, cui explicationi nihil habeo quod addam; tamen ei assentiri non possum in eo, quod nomina in *ις* et *ιν* contracta esse dicit ex *ιος* et *ιον*. Contractio enim, quae propria dicitur, ab hac re prorsus aliena est, cum *ι* vocalis in *ις* et *ιν* semper correpta sit. Potius haec correptio ita videtur effecta esse, ut *ι* sequentem *ο* vocalem quasi corrumperet, ut *ο* fieret vocalis irrationalis et sic paullatim evanesceret.

Idem fieri censendum est post diphthongos in *ι* in multis aliis vocibus, e quibus e. g. haec affero exempla: *οἶμαι* pro *οἴομαι*, *ᾤμην* pro *ᾠόμην*, *πλεῖν* part. pro **πλεῖον*; his nuperrime *δεῖν* pro **δεῖον* (*δέον*) addidit Usener in Fleckeis. Ann. vol. 105, p. 741 sqq. Non recte autem Usener *κεῖμαι* affert, quod ex **κείομαι* correptum esse putat, nam eodem jure *δείκνυμι* ex **δεικνύωμι* derivatum esse diceret, quae sententia falsa et inaudita esset. Ceterum graeco *κεῖται* ad amussim respondet sanscritum *çêtê* ex rad. *çî* ortum.

§ 15. DE HYPHAERESI VOCALIS *α*.

Eisdem fere locis atque *ο* eodemque modo *α* vocalis evanescit. Et primum quidem jam Herodoti aetate nomina propria in *ιας* corripiuntur in *ις* (cf. Benseler l. c.). Tum in compositis *α* ejecta est, ut in *Δεκελεικός*, *Δαρεικός*, *κεραμεικός* pro **Δεκελειακός*, **Δαρειακός*, **κεραμειακός* (cf. E. M. 240, 40 et Lob. proll. 320). Sed nescio an nunquam *Δαρειακός* cet. in usu fuerit et potius adjectiva illa sine *α* ab initio formata sint, ut vocalium concursus vitaretur. Post simplicem *ι α* elisa est in *μυστηρῖκός* Ar. Ach. 747 pro *μυστηριακός*, cf. Lob. Path. El. I, 226. Deinde patronymica a nominibus in *ιας* derivata, ut *Ζευξί-δης* a *Ζευξίας*, videntur correptas formas praebere, nisi rectius cum Angermanno (Stud. I, 37) a primitivis jam concisis *Ζεῦξις* cet. derivata esse putas.

Non mirum est, quod lingua jam senescente etiam in nominum declinatione *α* post *ι* vel *υ* ejicitur, ut in *πόλῖς* pro *πόλιας*, *νέκυς* pro *νέκυας* cet., cf. Lob. Path. El. I, 232 sq., ubi omnes ejusmodi formas quae exstant enumeratas invenies. — Sed valde cavendum est, ne huic quoque hyphaeresi majores fines tribuas: sic e. g. substantiva *ληΐς*, *δμωΐς*, *Ναΐς* neque ex *ληιάς*, *δμωιάς*, *Ναιάς* correpta sunt, neque *ληιάς* cet. ex *ληίς* pleonasmo *α* vocalis orta, ut Lobeck Path. El. I, 405 putat. Potius *ληίς* pro **λη-ιδ-ς* (cf. „Grdz.“ [3] 338), *Νηίς* (*Z* 22, *Ξ* 444, *Y* 384) pro **Νη-ιδ-ς* cum suffixo *ι* vel *ιδ* formata sunt, *ληιάς* autem et *Νηιάς* (*ν* 105, 348, 356 et Ap. Rh.) — *δμωιάς* a Quinto Sm. 3, 684; 9, 341 ex analogia vocum *ληιάς*, *Νηιάς* formatum videtur — cum suffixo *ια-δ* (cf. „Grdz.“ [3] 298).

§. 16. EA QUAE EX ANTECEDENTIBUS COLLIGENDA SUNT.

Liceat mihi paucis comprehendere, quae hac disputatione demonstrare studuimus:

1. In nominibus, quorum stirpes olim in *ϝ j σ* consonas exierunt, saepe consonis elisis vocales stirpis non contrahuntur cum vocalibus terminationum, sed eliduntur, id quod praecipue in nominibus in *-ε-ες*, *-ο-ο-ς*, *-ε-ο-ς* factum est.

2. Cavendum est, ne huic legi majores fines tribuas, cum saepe, ut in correptis formis nominum in *ας*, in adverbiis in *α* (*ὦκα*) cet. breviores stirpes statuendae sint.

3. In quibusdam pronominum formis (*ἐμαυτοῦ*) saepe vocales eliduntur.

4. Eadem hyphaeresis initio nonnullorum vocabulorum facta est (ion. *ὁρτή*).

5. Et in compositis et in nominibus derivatis vocales stirpium finales ante sequentes vocales exploduntur (*στρατηγό-ς*, *ἡδ-ιον*).

6. Dores in infinitivo verborum in *εω* alteram *ε* ejiciunt, interdum etiam in nominum et pronominum declinatione duas vocales non contrahunt, sed alteram elidunt; hyphaeresis autem statui non potest in pronominibus *ἁμές*, *ὑμές*, *ἄμμες*, *ὔμμες*.

7. Neo-Iones neque in nominum neque in verborum declinatione patiuntur, tres vocales duras collidere, sed semper alteram ejiciunt (*φοβέαι*), quam correptionem jam in homericis carminibus fieri coepisse intelleximus.

8. Post *ι* et *υ* saepissime vocales ejiciuntur (*παλαίτερος*).

VITA.

Natus sum Adolf Fritsch Wetflariae ante diem quintum Cal. Jan. anni CIƆIƆCCCXLVIII patre Ernesto Augusto, qui ante hos XIII fere annos morte mihi ereptus est, matre Bertha e gente Fester. Ab anno CIƆIƆCCCLVI gymnasium regium patriae urbis frequentavi, VII annis post scholae Portensi celeberrimae traditus sum, ubi per quinque annos et dimidium, rectore Petro, magistrorum disciplina summaque benevolentia usus sum. Inde Lipsiam me contuli, ut philologiae studio me dederem; sed interruptum hoc est per unum annum bello contra Franco-Gallos gesto. Per VII semestria interfui scholis quas habuerunt viri illustrissimi Biedermann, Brockhaus, Curtius, Eckstein, Lange, Lipsius, Philippi, Ritschl, Strümpell, Voigt, Windisch, Zarncke; seminari philologi regii, societatis historicae Voigti sodalis fui, societatibus philologis Curti et Ritscheli, seminario paedagogico Ecksteini etiamnunc intersum. Quibus omnibus viris optime de me meritis praecipue autem G. Curtio et praeceptori dilectissimo summeque reverendo et patrio amico gratiam quam possum maximam et habeo et semper habebo.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 035 377 8

JAN 30 1971